

*[Faint, mostly illegible Latin text in Gothic script, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several columns.]*

no effect iper  
de hoc nos  
probat nō  
habif ad hoc  
f. 111. nō  
Seor. in. 111.

autem  
de hoc  
etiaz ut  
Spe. in  
de prob.  
ij. vers. 11  
2 per  
in

debito:  
recedere  
conue  
p. 111.

AB  
111

U. q. 17, 8



BENEDICENTE DEO!  
DISSERTATIO LEGALIS

DE  
ESSENTIA

POSSESSIONIS,  
ACCEDENTE SUFFRAGIO  
*Magnifici & Nobilissimi Jctorum Ordinis in  
celebri ad Salam Athenæo*

DIRIGENTE  
VIRO  
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO ET CON-  
SULTISSIMO

DN. ERNESTO FRIDERICO  
SCHRÖTERO, J.U.D. PROFESSORE  
PUBL. CELEBERRIMO, CONSILIARIO SAXO-  
NICO SPECTATISSIMO, FACULTATIS JURIDICÆ  
ET SCABINATUS ASSESSORE

DIGNISSIMO,  
Præceptore, Fautore & Hospite jugiter colendo,  
*Eruditorum censura subjecta.*  
In Themisterio Jctorum

M. MICHAELE WISIO,  
ABOA-FINLANDO.  
*Die 15. Octobris*  
ANNI M DC LIII.

---

*JENÆ, CHARACTERE NISIANO.*



DISSERTATIO LEGALIS  
DE

# ESSENTIA

PROFESSORIS

FRANCISCI I. MERKELII

DE

REBUS

PROFESSORIS

FRANCISCI I. MERKELII

FRANCISCI I. MERKELII

FRANCISCI I. MERKELII

FRANCISCI I. MERKELII

FRANCISCI I. MERKELII

FRANCISCI I. MERKELII

FRANCISCI I. MERKELII

MICHAEL WISIO

FRANCISCI I. MERKELII

FRANCISCI I. MERKELII

FRANCISCI I. MERKELII





SERENISSIMÆ AC POTENTISSI-  
MÆ REGINÆ SVEOGOTHICÆ ET  
WANDALICÆ, NEC NON MAGNÆ PRIN-  
CIPIS FINNONIÆ &c.

DN. CHRISTINÆ  
AUGUSTÆ,

antehac in Germania Legato Magnificen-  
tissimo,

ILLUSTRISSIMO ET GENEROSISSIMO HEROI,  
DN. BENEDICTO OXEN-  
STJERNÆ/COMITI DE Wasa ET  
Korsholm/LIB. BARONI DE Mörby/DOMINO DE  
Lindholm/Rosenberg/&c. NUNC SUPREMI REGII JUDICII  
QUOD WISMARIÆ EST PRÆSIDI EMI-

NENTISSIMO,  
DOMINO & PATRONO SUO GRATIOSISSIMO  
Euxasgen!

**Q**Uod Dissertationis hujus frontem, excelsi  
nominis Tui splendore illustrissime Comes  
collustrare ausus sim, causa mihi non una,  
cum primis tamen effecit sublimis fastigii honor à  
S. Reg. Maj. Sve. illustrissimæ T. Excell. non ita  
pridem magna solennitate per Regni Senatorem  
Generosissimum Dn. Rosenhahn meritò delatus,

A 2

quo

quo in Regio Dicafterio Wismariensi splendide  
jam clues, in dextera tua opem & spem futuri me-  
lioris temporis gerens, quem illustrissimæ T. Ex-  
cell. per hanc nuncupationem velut submissi ani-  
mi interpretem devotâ mente subjectissimè gra-  
tulator. Ad hunc non spurca suffragiorum nundi-  
natio, nec ambitiosa corrogatio, sed Deo ita dispo-  
nente stupenda tua Virtus quâ totus fulges, præ-  
claris in patriam meritis abundè probata viam u-  
nicè struxit. Consistit autem illa Virtus præter a-  
lias raras mentis dotes, in summa prudentia longo  
rerum usu acquisita, quæ sese mirificè exseruerat  
in maximè arduis rebus à S. Reg. Maj. fidei tuæ  
tutò commissis, peragendis & explicandis, unde  
varia munia publica tam extra quàm intra patriâ  
tanta judicii dexteritate auspiciis CHRISTINÆ Au-  
gustæ obiëras, ut exteros etiam in tui admiratio-  
nem rapueris. De acerrimo illo animi vigore, lu-  
culentum testimonium omni exceptione majus  
fert vel Legatio nupera inter cætera æternæ laudis  
monumenta, cujus Dn. Sprengerus in sua nuncu-  
patione etiam meminit, asserens Norinbergen-  
sem Diætam indubitatam fidem facere de judicii  
tui dexteritate, cujus sanè tanta altitudo, ut calami  
mei tenuis decempeda eandem metiri nequeat,  
cùm maria & montium juga transcurrat, ab Orbe

Ar-

Arctoo instar syderis fulgidissimi in longè diffitos  
terrarum angulos, radiantem splendorem conti-  
nuè diffundens. Cui etiam unita est gravis facun-  
dia, tantâ comitate temperata, & venustatis succo  
ita delibuta, ut ejus Majestate totus corusces, quo-  
rumcunq; animos non minus quàm aures occu-  
pans, ejusq; svavitate perfundens. Hinc patet,  
quod illustrissimi parentis tui Regni Sveogothici  
columnæ eminentissimæ vivum colorem ducas,  
cujus admirandam judicii acrimoniam, summæ  
humanitati ingenio insitæ conjunctam, Finnia  
magna venerabunda adorare, deditissima mente  
recondere, & quavis occasione, ut decet, pleno o-  
re deprædicare non desinit. Ibi enim felicem Gu-  
bernatores generalem cum insigni incolarum  
applausu aliquandiu egit, indeq; Stockholmiam  
vocatus ingens sui desiderium reliquit. Proinde  
nihil aliud ex eo ibidem superest, quam quod sem-  
per ab immortalitate subducitur. Gloriam itaq; à  
majorib; laudabiliter acceptam, posteris infinitis  
modis auctam indubitatè relinquere potes. Huc  
accedit porrò cœlestis ille favor, quo literarum  
cultoribus prolixè faves, eorum laudabiles cona-  
tus provehere non recusans, quamvis magnâ ne-  
gotiorum publicorum mole indies circumfunda-  
ris. Testes invocare licet non solum domi, sed et.

iam foris, ubi Clementiæ tuæ radiis non pauci illustrati, ab illustrissimæ T. Excell. ara gratulabundi discessere. Hinc tantæ spei immineo, ut clementiæ tuæ radius etiam mihi illucescat. Ut igitur exercitium hocce Academicum ad illustrissimæ Tuæ Excellentiæ pedes summa animi devotione depositum, illustri tuo vultu beare, meq; in clientum tuorum censum cooptare velis summè obtestor

Jenæ XXVI. Septemb.

Anno Clō Io c LIII.

*Illustrissima Tuæ Excellentia*

*subjectissimè inserviens.*

Michaël Wifius.

MAFA.





ΠΑΡΑΚΕΤΗ.



Uanquam priscis Jctis materia possessio-  
nis tantis difficultatum labyrinthis involuta, imò  
plane ita immersa visa sit, ut nonnulli asseverare  
haud dubitarent, etiam peritissimos quosque in-  
quidditatem possessionis inquirere ausos non fuisse.  
Quæ difficultas partim à verbis à Jctis tam  
conciis prolatis, ut plerumque cogitandum aliis  
reliquerint, plus sentientes quam scribentes: partim à rebus ipsis in-  
quib. miram deprehendi subtilitatem *Duarenus in præfatione ad tit.  
ff. de A. v. A. P.* ait; descendit. In quibus enodandis Authores lon-  
gam contentionis ferram ducunt, adducentes varias interpretatio-  
nes & explicationes quæ ab interpretibus in utramque partem mirè  
agitantur & discutuntur, unde materiæ huic multum obscuritatis af-  
suebant, judicioque *Zasii* per varios & diversos mæandros ita obscu-  
rârunt, ut res sit paulo minus inextricabilis, si pergamus sequi vel  
glossam vel Doctores. Quæ sanè res pectora veritatis desiderio flag-  
rantia reliquit tam anxia, ut sæpiusculè dubitarent, an perfectè ejus  
doctrina explanari possit? Hinc *Dn. Biccus Jctus Argentomontensis Cl.  
in præmio Commentationis ad l. 3. §. 5. ff. de A. v. A. P.* hanc materiam  
de apicibus jûris esse fatetur, & inter cruces Jurisperitorum consen-  
tiente *Dd.* calculo numerari ait. In foro tamen tam amplus & fre-  
quens est ejus usus, ut undiquaque in conspectum positus sit, inq; om-  
nes ferè jûris controversias incidat. *Mind. in Comment. Synopr. de  
mater. poss. C. 1. n. 1.* Unde *Zasius in præfatione ad dictum titulum,*  
tam utilem esse, ut nemo sine materiæ hujus possessoriæ cognitione,  
jûris cognitionem sibi asserere possit. Et *Dn. Biccus in dicto præ-  
mio* de unico §. 1. 3. verba faciens, asserit multarum rerum observatu  
dignarum notitiam nobis suppeditari, aut saltem in memoriam  
revocari, si textus iste commodam & justam interpretationem for-  
tiatur. Cujus utilitatis dulcedine Jcti magni nominis allecti, in ti-  
tulo

tulo isto dilucide explicando valde sudarunt; testis est vel *Menochius* qui latissime hanc materiam persequitur. Et *Duarenus* qui hujus suavitate ita perfusus, ut in dicta præfatione professionis suæ initium à prælectione hujus tituli se fecisse asserat, prolixè satis eundem declarans; nec non *Dn. Biccini*, cui unicus saltem § integrum Commentarium concinnè adornatum expressit. Quod perpendens ego difficultatum syrtes me remorari passus non sum, revocans mihi in memoriam πολυθρόνηλον illud; δύσκολα τὰ καλὰ utilitatem potius attendens, materiam hanc possessoriam ex immenso illo juris pelago pro virili juridicè tractandam selegi, nobiliores controversias materiam concernentes levi ut dicitur brachio tangens; ad vivum enim refecare vel exprimere non audeo nec valeo, recordans facile sententia ejus qui dixisse fertur; κὰν τὸν ἑταρον πόδα ἐν τῇ σαρῶ ἔχω παρομαθῆν τι βυλομήλω, unde potius cum *Pomponio* ex l. 20. ff. de fidei commiss. libert. discendi cupiditatem solam vivendi rationem optimam in octavum & septuagesimum annum ætatis duco. Antequam verò rem ipsam aggrediamur, necessum est, ut ad actum istum procedamus secundum sacratissimi Imperatoris monitum, in nomine domini nostri Jesu Christi l. 2. C. de offic. præfect. prat. Afric. Magni illius DEI & Salvatoris nostri auxilium invocantes ex *Novell. 85. pr.* Sit itaque Bono cum Deo!

## THESIS I

**I**N deducenda Notatione possessionis, Authores in diversas opiniones secedunt; alii enim ex Editione Florentina ad mentem Labconis in l. 1. ff. de A. v. A. P. expressam, alii ludendo à sedibus derivant, ut denotet quasi sedis positionem; quia in re possessa sedem collocamus. Ita *Gen. 16.* eligentes dicuntur tabernacula figere, imò regiones olim sibi eligentes, sedes posuisse dicuntur, ut *Aeneid. 1.*

Hic tamen ille urbem Patavi sedesque locavit.  
Hinc *Gothofredus* in notis suis ad d. l. 1. dicit *Hotomannum* existimare, positionem sedis indigitare notam ac symbolum acquirendæ possessionis. Quam opinionem videtur confirmare l. 3. §. 5. ff. de A. v. A. P. Alii vero ex lectione vulgata, vocis originem quarunt, deducentes eandem à pedibus, quasi pedum positio esset. Ita *Græci* dicunt:

dicunt: *ἐπιπὸς ἔχει πῶδα* i. e. extra habere pedem; quod denotat extorrem esse. Idem ostendi potest ex *Cic. Philip. 3.* Ubi hæc verba habentur; hodierno, die patres conscripti, longo intervallo in possessionem libertatis pedem ponimus. Cui convenit quod scriptum est in *Deut. ii. v. 24.* & *Jos. i.* Omnis locus quæ calcaverit pes vester, vester erit. Unde *Tholos. in Syntag. jur. univers. lib. i. c. 13. p. 12. num. 7.* appellat pedis positionem notam substantialem adeptæ possessionis, quippe quæ eò usque factum illud positionis extendit, quo usque mens intelligit se velle possidere secund. *l. 3. §. 1. ff. de A. v. A. P.* Hanc tamen notationem *Gothofredus* rejicit ex hac ratione; quia nemo pedibus sedere dicitur. Verum frustra; nam licet pedibus quis sedere dici nequeat; attamen antequam quis possessionem per se sionem adipiscatur, pedum opera desideratur, quæ sessio vel aliàs ingressus perfectionem sortiri potest. Proinde hoc respectu vulgata lectio præponderare videtur. Quamquam diffitendum non sit magno opere non referre, utrum potius à sedibus vel pedibus derivetur? Cum utraque notatio subsistere possit, argumento ducto à *l. 1. ff. de A. v. A. P.* Ubi Paulus dicit naturaliter teneri possessionem ab eo, qui eidem insistit. Dicitur autem insistere non solum is qui pedibus; sed etiam qui sedibus rem occupat, eique incumbit, *arg. l. 3. §. 5. ff. de A. v. A. P.* Ubi non tantum sessio; sed etiam statio indigitatur.

II. Priusquam verò ad rei interpretationem perveniamus, è re est pauca de significatione ipsius tituli referre *l. 1. pr. ff. de reb. cred.* Omnes tamen illas varias significationes, quibus vox hæc indigitari solet, hic enumerare consultum non ducimus, satius esse arbitrantes, si præcipuas saltem, & quidem illas, quæ in Sætorum Aula potissimum usurpantur, recensuerimus, ne à recto tramite aberrare videamur; siquidem moribus civitatis, & usu rerum appellatio rei mutari solet *l. 7. §. 1. ff. de Supell. legat.* Unde incertitudo nasci solet juxta illud; Erroris genetrix est æquivocatio semper. Sumitur igitur 1. Pro Usucapione, quæ acceptio videtur cum primis fundari in *l. 19. ff. ex quib. caus. major.* Ubi Papinianus dicit, interruptam possessionem postliminio non restitui; quia hæc sine possessione non consistit. Ibi *Gothofr.* vocem possessionis per usucapionem ex *l. 30. ff. eod.* interpretatur; aliàs enim ratio Papiniani à tautologia libera non potest. 2. Pro qualicunque detentione; quomodo servi di-

B

cuntur

cuntur tenere l. 1. §. 5. ff. de A. v. A. P. §. l. 24. ff. eod. Conf. l. 9. in fin. ff. de R. V. 3. Pro re possessa immobili; quo sensu alia possessio minor dicitur l. 5. §. 10. in fin. ff. de reb. eor. qui sub. tut. & cur. §. l. 3. ff. de extr. cognit. dicitur; ut ei possessiones suas venderet. Confer. l. 12. serè in pr. ff. de instr. & instr. leg. l. 11. ff. de alienat. jud. mutand. caus. fact. 4. Pro ipsa proprietate l. 78. ff. de V. S. 5. Pro usu à proprietate se juncto l. 115. ff. de V. S. 6. Pro possessione rei incorporalis, quæ propriè loquendo possideri nequit. Ita dicitur possessio juris l. 16. S. fin. ff. de hered. petit. Conf. l. 23. §. 2. ff. ex quib. caus. maj. l. 32. §. 1. ff. de S. P. U. 7. Et quidem latè pro facultate rem apprehendendi eique incumbendi, citra affectionem domini, non tamen, citra jus possessionis; qua ratione coloni possidere l. 7. §. 11. ff. Comm. div. & inquilini §. 5. Inst. de Interd. nec non usufructuarius l. 12. ff. de A. v. A. P. ut & debitor, qui possessionem restituere cogetur l. 40. ff. de pignor. act. dicuntur. Denique qui rei servandæ, legatorum & damni infecti causa in possessionem misi sunt l. 3. S. fin. ff. de A. v. A. P. est enim justa causa possidendi custodiæ gratia; ut loquitur Ulpianus l. 7. §. 8. ff. Comm. divid. quo sensu Græcis κατοχή dicitur l. 1. ff. de A. v. A. P. Ulpiano verò detentatio l. 15. §. 3. ff. ex quibus caus. major. l. 5. ff. de impens. in rem dotal. Strictè verò sumitur pro facultate rei incumbendi cum affectione domini eam sibi habendi; qualis acceptio non obscure sustinetur l. 1. §. 3. l. 3. §. 3. ff. de A. v. A. P. l. 67. ff. de furt. l. 37. ff. de pignor. act. Ultraque significatio vocis, possessioni in genere consideratæ adaptari potest; siquidem tam ille qui priori, quàm qui posteriori modo possidet possidere dicitur; ut leges allegatæ manifestè edocent.

III. Evolutionem homonymiæ excipit Definitio, in qua investigatione Icti valdè sudant; quia definitio possessionis in jure expressè τὸ πῦρον non proponitur, unde Mind. de Mater. possess. c. 1. n. 20. cont. 1. disp. 9. infinitam garrulitatis ansam glossographis natam esse ait. Alii enim substituendo vocem usus; alii detentionis, alii juris, adæquatam genus possessionis extruere conati sunt. Ultimam sententiam acceptant Job. antiquus glossator, Azo, Bartolus, Schneid. Borcholt. Basbovius, aliij. Cui etiam nos subscribimus definitionem usitatam exhibentes, quæ ita sonat: Possessio est jus insistenti rei vacuæ.

IV. Ubi

IV. Ubi generis vicem sustinet vocula juris, quæ hic ita non  
 accipitur, prout iniustitiæ opponitur; quo respectu possessio reddi-  
 tur iniusta ipsa essentia possessionis jam existente & præcedente, cu-  
 jusmodi qualitas iniustitiæ, essentiam possessionis non ingreditur, ut  
 patet ex *l. 3. §. 5. ff. de A. v. A. P.* accedit enim eidem extrinsecus,  
 eandem tamen essentialiter afficiens; Sed sumitur pro tali facultate,  
 quæ ita qualificata & formata est, ut quis ejus vi non tantum actu  
 ipso possessioni incumbat *secund. l. 19. §. 1. ff. de A. v. A. P.* sed etiam  
 pro arbitrio suo, quando cunque liberit rem apprehendere, eique  
 in proxima potentia insiltere possit juxta *l. 3. §. 13. ff. de A. v. A. P.*  
 Hinc vi dejectus qui jus possidendi amplius non habet, non possidet  
*l. 5. ff. de Usucap.* nisi quatenus possit confestim possessionem recu-  
 perare *l. 3. §. 9. ff. de vi & vi arm. l. 17. ff. eod.* Et quamvis ipsi com-  
 petat interdictum recuperandæ, id tamen non est ex ipso possi-  
 dendis, sed ex violenta dejectione *l. 12 ff. de vi & vi armat. l. 7. ff. eod.*  
 Nec dicendum detentionem commodius Generis vicem supplere;  
 si enim ad factum detentionis possessio restringeretur, utique subla-  
 tâ illa detentione periret quoque possessio. Quod esset contra *l. 3.*  
*§. 11. §. 16. ff. de A. v. A. P. conf. l. 6. §. 1. ff. eod.* Est enim corpo-  
 ralis illa detentio modus saltem possidendi *l. 10. C. de A. & R. P.*  
 Unde est, quod is etiam dicatur tenere qui non possidet *l. 49. §. 1. ff.*  
*de A. v. A. P. l. 45. §. 1. ff. de Usucap.* Sed dicat aliquis amplitudinem  
 Generis limitari per differentiam, quam exhibent voces seqq. videl.  
 animus affectiove domini. Verum hac differentia adhibita, reddi-  
 tur definitio angustior suo definito; sic enim possessio considerata  
 competit ejusmodi speciei possessionis, quæ usucapiendi effectum  
 concomitantem habet; nam is est præcipuus effectus civilis posses-  
 sionis, ut usucapio sequatur *l. 13. l. 16. ff. de Usucap. l. 19. ff. ex quib.*  
*caus. major.* Præterea differentia illa non est de essentia possessionis,  
 quatenus possessio in genere consideratur; quamvis enim illa interdum  
 proprietatem vel dominium involvat, ut patet ex *l. 78. ff. de V.*  
*S.* sicut è contrario dominium possessionem denotet *l. 15. C. de R. V.*  
*A. P.* tamen possessio & proprietas permisceri non debent *l. 52. ff. de A. v.*  
*A. P.* Est enim proprietas quiddam à possessione sejunctum *l. 116.*  
*ff. de V. S. l. 1. §. 2. ff. Uti possid.* Quocirca Ulpianus in *l. 1. §. 1. ff. de*  
*A. v. A. P.* dicit proprietatem i. e. interprete Gothofredo, domini-

um nihil commune habere cum possessione. Quod procedit quoad identitatem specificam; dominium enim ipsam rei substantiam q. penetrat; possessio vero versatur extra eandem. Est tamen propter nominis communionem etiam alia inter hæc duo convenientia, quam ostendit 1. ipsa origo utriusque à jure Gent. promanans *l. 5. ff. de j. & j.* Nam ante dominiorum distinctionem, nemo animo sibi habendi acquisivit; sed quisvis apprehendebat res eo animo ut indistinctè uteretur. At tractu temporis suborta dominiorum distinctione, coepit quilibet sibi acquirere. Unde Paulus *l. 1. ff. de A. v. A. P.* dicit dominium ex naturali possessione coepisse; quomodo possessio aliquid cum dominio commune habet, quatenus scilicet apprehendendo possessionem dominium nanciscimur juxta *d. l. 1. 2.* Conjunctio quæ lucet in eo actu, ubi quis ex causa domini possessionem transferens non tantum possessionem; sed etiam dominium transfert, vi *l. 8. C. de A. & R. P.* Porro illa differentia non videtur exhaurire essentiam Definiti; quia datur talis possessio, ubi animus domini nõ attenditur, & tamè verè possidetur, utpote 1. Possessio uxoris, quæ rem à viro donatam verè possidet *l. 1. §. 4. l. 16. ff. de A. v. A. P. §. 40. Inst. de R. D. l. 75. ff. de jur. dot. l. 30. C. eod.* sine tamen animo domini, quoniam ejusmodi donatio legibus prohibita *l. 3. ff. de donat. int. vir. & uxor.* hinc jure civili non intelligitur possidere *l. 26. ff. eod. 2.* Creditoris qui pignus possidet *l. 9. §. 2. ff. de pignor. act.* manente proprietate debitoris *l. 35. §. 1. ff. eod.* Quidam inserunt etiam Definitioni differentia loco, verba; animo tenendi, moti *l. 41. ff. de A. v. A. P.* Verum hoc nomine, videlicet ob defectum istarum vocum, Definitio nostra imperfectionis argui nequit; nam jus implicat ista verba, adeò ut possessio iis applicari nequeat, qui jure familiaritatis fundum amici ingrediuntur. Præterea possessio in se considerata sine animo tenendi subsistere potest; quia furiosus qui animum tenendi non habet *l. 1. §. 3. ff. de A. v. A. P.* eandem retinere potest *l. 4. §. 3. l. 31. §. 3. l. 44. §. 6. ff. de Usucap.* Quod denique Usus non sit legitimum Genus patet ex *l. 8. ff. Commod.* Ubi Pomponius ait rei commodatæ & possessionem & proprietatem nos retinere. At Usus rei commodatæ retineri non potest, quoniam commodatum eò præcipuè tendit, ut usus rei alicujus gratuitò, cum assignatione certi temporis & modi, in commodatarium transeat. *l. 17. §. 3. ibi; intempestivè usum commodatæ rei auferre ff. Commod.*

Præ-

Præterea usus servitutis alicujus alteri precario concedi potest, ut servitute illa utatur *l. 2. §. fin. de precar.* Atqui servitutis possessio esse nequit, ut infra demonstrabitur. Pluribus id refutat *Bachov. volum. 2. Disp. 21. p. m. 254. Bicc. in Commentar. l. 3. ff. de A. v. A. P. p. m. 99. Hillig. lib. 5. cap. 6. lit. E.*

V. Differentia verò petitur ab Objecto, quod debet esse habile ad recipiendum modum possidendi vel civilem vel naturalem, justè vel injustè. Quà de re pluribus infra agetur, hinc saltem obiter notandum 1. quod per rem in Definit. intelligenda veniat res corporalis, quæ propriè possideri potest *l. 3. ff. de A. v. A. P.* Incorporalis verò qualis est servitus *l. 14. ff. de Servit.* propriè non possidetur *l. 32. §. 2. in fin. de S. P. U.* imò jus incorporale non intelligitur possideri *l. 4. §. 27. ff. de Usucap.* Cernitur tamen ejus quasi possessio in usu, quoniam utendo apprehendere & ita possidere videmur *l. 3. §. 17. ff. de vi & vi arm.* 2. Quod res illa sit vacua; quia duo simpliciter uno & eodem modo eandem rem in solidum possidere nequeunt *l. 5. §. 15. ff. Commod. l. 3. §. 5. ff. de A. v. A. P.* Dicitur autem vacua tunc ab aliis possessoribus, cum sc. res nec corpore, nec animo alicujus tenetur *l. 68. ff. de contrab. empt.* Vacua enim non est si alius in ea sit *l. 2. §. 1. ff. de act. empt.* Conf. *l. 12. C. de probat. & l. 13. C. de distract. pignor.* Si igitur aliquis habuerit facultatem, talem rem apprehendendi ei que insistendi, utique is verè possidet. Illa tamen insistencia ita accipienda est, ut possessor præcisè rei suæ actu incumbere necesse non habeat; sic enim is qui peregrè profectus est, non possideret, quod esset contra *l. 6. §. 1. ff. de A. v. A. P.* nec qui columbas habet ex alveis evolantes, & ex consuetudine redeunt. Quod itidem esset contra *l. 3. §. 16. ff. eod.* unde saltus hybernos & æstivos animo possidere dicimur, licet certis temporibus eos relinquamus *l. 3. §. 11. ff. de A. v. A. P.* Sufficit igitur si potentiam habuerit ad id ut possit actu insistere, atque ita jus illud exercere, quod in re habet *l. 3. §. 13. de A. v. A. P.* Id uberius ostendi potest ex illa divisione rerum, quæ facta est post clysmum universalem, ubi hominibus amplissimæ ditiones cessarunt, quarum tamen singulas partes actualiter non apprehendebant: neque potest dici, eos id non possedisse. Jus illud insistendi videtur etiam requiri de jure Syecano ex *c. 5. §. 1. Jordab. C. l. ubi*

hæc verba habentur. Engin må näkra handa tomt eller gård återlösa/ Bthan han villl Honå sielfwer hafwa och Bthi boa etc.

VI. In superiori thesi facta est mentio rei corporalis & incorporalis, unde nascitur illa Divisio, quâ possessio in propriam *l. 3. pr. ff. de A. v. A. P.* quæ res corporales complectitur; & Analogicam incorporales concernentem *arg. l. 2. ff. Comm. præd. l. fin. ff. de Servit. dividitur.*

VII. Illa vicissim dispescitur in Naturalem & Civilem *l. 2. §. 1. ff. pro hered. l. 1. §. 9. ff. de vi & vi arm. l. 3. §. fin. ff. ad exhibend. l. 22. §. 1. ff. de noxal. act. l. 13. §. fin. ff. de pub. in rem act.* Cum verò hujus divisionis fundamentum videatur consistere in explicatione horum terminorum; idèò ambiguitatem evolvere placet, quò natura ejus faciliùs patefcatur. Sumitur igitur vox naturalis i. pro modo possidendi; quomodo in *l. 10. C. de A. & R. P.* duplex ratio possessionis dicitur. Ita accipitur, cum vel animo contradistinguitur *l. 3. §. 3. & 13. ff. de A. v. A. P. l. 24. ff. eod.* vel separatim usurpatur, ut *l. 1. ff. eod. 2.* Pro tali possessione, quâ quis alterius nomine possidet, & ita alienæ possessioni tantum ministerium præstat *l. 15. ff. de Const. pec. l. 13. §. 12. ff. de hered. petit.* Ita stipulationem servi, ut sibi possidere liceat, ad possessionem naturalem Ulp. refert. *l. 38. §. 7. ff. de V. O. 3.* Dicitur naturalis, quâ quis possidet non quidem animo domini; sed alio jure sibi habendi. Ita possidet creditor *l. 13. §. 1. ff. de pub. in rem. l. 3. §. fin. ff. ad exhib. l. 16. ff. de Usucap. l. 22. §. 1. ff. de noxal. act. l. 35. §. 1. ff. de pignor. act.* Ubi m. is possidere dicitur qui precariò rogavit, si ita impetravit, ut sibi possidere liceat *l. 2. §. fin. ff. de precar. quomodo naturalis civili contradistinguitur; ut leges modò allegatæ edocent.* Proinde hæc significatio hîc acceptanda est. Atque ita accepta potest hunc in modum describi: Possessio naturalis est jus insistendi rei, citra affectionem domini. Ubi jus itidem Generis naturam induit; nam quicquid dicitur de Genere, illud etiam prædicatur de Specie. Quod ita intellectum volumus prout in generali definitione explicatum. Hinc non potest inferri, quod aliquis amittat possessionem naturalem, si v. c. ex fundo egrediatur, vel quod recipiat, si ingrediatur; nec ita modò civilis in naturalem, modò hæc in illam mutatur, quemadmodum *Vand. 2. var. quæst. 3.* argutatur, allegan-



legante *Bachovio ad Treutl. Vol. 2. Diss. 21. p. m. 259.* Nam licet  
possessio naturalis cogitationem domini non habeat; jure tamen  
possessiois gaudet, cujus respectu dicitur quis animo sibi habendi  
possidere rem illam cujus dominium alteri concedit *l. 35. §. 1. ff. de  
pign. act. l. 16. ff. de Usucap. l. 22. §. 1. ff. de nox. act. Conf. l. 7. §. 11. ff.  
Comm. divid. l. 38. §. 10. ff. de Usufr. & l. 2. §. 38. ff. Ne quid in loco  
publ. vel it. fiat.* Ubi habere dicitur qui utitur & jura possessio-  
nis fruitur. Hinc *Zæsius in Comm. ad tit. de A. v. A. P. n. 7. in fin.*  
dicit eum propriè naturaliter possidere, qui sine affectu domini, a-  
nimo tamen possidendi, rem tenet, quod ipsum ex materia subje-  
cta dignoscendum esse ait. Et *Bachovius in loco allegato* dicit Dd.  
omniò animum requirere in possessione naturali, & civilem non  
per discessum demum existere, sed antea cum naturali conjunctam  
retineri, naturalem autem amitti vel potius modum possidendi  
mutari. Unde porro *p. m. 260. d. Diss.* possessionem constitutam non  
simpliciter ut factum, sed etiam ut jus aliquod considerandam esse, cujus  
juris obtinendi modos esse diversos ait. Jus illud quod naturali pos-  
sessori inest, etiã jus Svecanum non obscure indigitat *C. 20. Jordab.  
l. 1. Hafwi Jordágande enftre wáld sigia Landboen uf Jord / fórrer  
án gíftostempne ár uthe.* Et de jur. Rom. *l. 50. ff. de jur. fise.* prædia sub  
colono fuisse dicuntur. Naturaliter verò possident 1. Vasallus 2.  
*feud. 8.* de quo infra. 2. Emphyteuta *l. 15. §. 1. ff. qui satisdar. co-  
gant. l. 2. C. de omni agro desert.* 3. Sequester, si partium consensu  
possideat *l. 39. ff. de A. v. A. P. 4. Creditor l. 35. §. 1. l. 37. ff. de pignor.  
act. l. 37. ff. de A. R. D. l. 33. in fin. ff. de Usucap.* 5. Usufructuarius &  
Usuarius *l. 4. ff. Uti possid. l. 12. l. 49. ff. de A. v. A. P. §. 4. Inst. de In-  
terd.* Circa hanc possessionem insuper à Dd. quæri solet in specie,  
Utrum naturalis hæc possessio etiam aliquid civilitatis contineat?  
Ubi Communis conclusio est, quod respectu ipsius rei quæ posside-  
tur, possessio sit naturalis: respectu verò juris illius quod in recon-  
stitutum est, civilis etiam concurrat. Id quod patet ex fundo Em-  
phyteutico, ubi ab ipso Emphyteuta jus illud incorporale tam na-  
turaliter quam civiliter quasi possiderur. Illo modo per actus natu-  
les, quos exercet colendo fundum & colligendo fructus: hoc verò  
retinendo possessionem istius juris in animo, si de fundo recedat,  
quæ tantæ efficacæ est, ut usufructus ab alio extraneo in absentia  
ejus

ejus occupatus, non possit ab eodem contra absentem præscribi  
*l. 23. §. 2. ff. de ex quib. caus. major.* Nec propterea dici potest, quod  
duo possideant eandem rem civiliter simul & in solidum; nam  
Emphyteuta ipsam rem civiliter non possidet, sed naturaliter; re-  
spectu verò juris in re etiam civilis intervenit.

VIII. Similiter vox Civilis homonymia non caret. Acci-  
pitur enim 1. Latè pro tali, quæ jure civili approbatur & pro vera  
habetur, cujus notabile exemplum *Dn. Bicc. dicit p. m. 13.* conti-  
neri in *l. 24. ff. de A. v. A. P.* Ubi servus peculium civiliter possi-  
dere negatur. Quod ita jure civili approbatum est; jus enim eun-  
dem possidere prohibet *l. 38. §. 7. ff. de V. O. 2.* Civilis possessio sæ-  
penumero ita usurpatur, ut denotet talem, quæ effectum usucapi-  
endi concomitantem habet, licet bona fides & opinio domini am-  
plius non adsint. Ita Paulus *l. 48. §. 1. ff. de A. R. D.* dici usucapio-  
nem ejus rei procedere, quam initio putavit vendentis esse; postea  
cognovit alienam, atque ita desinit illa possessio civilis, quæ quis  
bonâ fide & opinione domini possidet. Interim tamen durat Usu-  
capio, & consequenter civilis possessio prout hic sumitur. Alte-  
rum hujus exemplum habetur *l. 2. §. 13. ff. pro empt.* Ubi Paulus  
ita loquitur, si servus b. f. emerit peculiari nomine, ego ubi pri-  
mum cognovi, sciam alienam, processuram Usucapionem Celsus  
ait; initium enim possessionis sine vitio fuit. 3. Signatur hoc no-  
mine talis possessio, quæ quis animo & opinione domini possidet;  
quomodo civilis prorsus sejuncta & separata est à naturali posses-  
sione in specie, ita ut impossibile sit, eam unâ cū naturali in uno e-  
odemque subjecto simul concurrere posse. Quod clarius patet ex  
concessione feudi, ubi dominus rei infeudatæ civilem sibi retinet;  
Vasallus verò naturalem consequitur. Duorum enim dominium  
vel possessio in solidum esse nequit *l. 5. §. 15. ff. Commod. l. 19. §. 3. ff.  
de pecul. castrens.* Alias verò possessio naturalis & civilis in gene-  
re & largè consideratæ simul concurrere possunt, ita ut quis natu-  
raliter teneat rem corpore, dum est in fundo, & animo quoque si-  
mul, cum habeat animum possidendi. In hac significatione ac-  
cepta, definiri potest ita: Civilis possessio est jus insistendi rei,  
opinionem domini. Quæ definitio stabilitur expressis legibus,  
in antecedenti thesi allegatis, ubi civilis naturali è diametro op-  
poni-

ponitur. In qua definitione animus domini videtur esse essentialis  
constituens civilem possessionem; proveniens à tali titulo acquiren-  
di dominium, qui animum possessoris opinione domini imbuat.  
Non tamen possidet aliquis quatenus dominus *l. 12. §. 1. ff. de A. v.*  
*A. P.* sed quatenus habet affectionem rem sibi habendi vel suo nomi-  
ne insistendi *l. 17. §. 1. ff. de A. v. A. P.* ut Consultiss. *Dn. Struvius*  
*Prof. Pand. in Salana celeberr. Exercit. 34. th. 4.* judiciosè animad-  
vertit. Cum igitur quis ita rei insistat, ut se dominum reverà esse  
credat, utique is civiliter possidet; qui enim solam proprietatem ha-  
bet, possessor intelligendus est *l. 15. §. 1. ff. qui satisdar. cogant.* Un-  
de etiam domini appellatione continetur, qui habet proprietatem  
*l. 1. §. 1. ff. de Scto Silanio.* Quamvis interdum fieri possit, ut & pos-  
sessor idem & dominus sit *l. 1. §. 2. ff. Uti possid.* Hanc possessionem  
videtur etiam jus Svecanum innuere *C. 21. Jordab.* Et illis verbis:  
**Þá ráðhe áganden sielfsver Jord sinne / och fáá sigþ sielfsver áboa**  
**Þoppá Jordenne:** hinc possessor civilis Svecis rátter ágande dicitur  
*C. 13. Jordab. l. 1.* Competit autem hæc possessio Civilis 1. Domi-  
no Feudi. 2. Domino Emphyteusis. 3. Domini Soli; Superficiarius  
enim naturalem possessionem tantum obtinet, cujus respectu inter-  
dictum uti possidetis ei obvenit *l. 1. ff. de superf. l. 3. §. 7. ff. uti possid.*  
4. Debitori qui rem pignori creditori dedit, possessio civilis ejusdem  
rei eidem cedit 1. quo ad Usucapionem *l. 16. ff. de usucap.* 2. quo ad  
acquisitionem fructuum; fructus enim quos creditor percepit ex re  
pignorata lucro creditoris non annumerantur, sed debitoris, quia  
imputantur in debitum *l. 1. §. 2. C. de pignor. act.* 5. Absenti, qui ne-  
mine domi relicto peregrè profectus est *l. 6. §. 1. ff. de A. v. A. P.* 6.  
Concedenti rem alteri precariò, qui sibi proprietatem reservat *l. 15.*  
*§. 4. ff. de precar.* Ubi dubium occurrit, quare precariò accipiens  
possessionem naturalem nanciscatur, non vero commodatarius?  
*l. 8. ff. Commod.* Cum tamen commodatum videatur fortius pre-  
cario; quoniam illud non ad arbitrium commodantis; sed quam-  
primum tempus usui destinatum præterlapsum fuerit, res commo-  
data repeti potest *l. 17. §. 3. ff. commod.* precarium vero ad lubitum  
concedentis revocari potest *l. 12. ff. de precar.* Sed ratio diversitatis  
consistit in usu, cujus respectu precarium commodato fortius dicitur.  
In commodato enim usus restrictus est ad certum tempus sive

C

taci-

tacitum vel expressum *d. §. 3. ff. commod.* precarium vero nullam certam temporis assignationem habet; nam ad incertum tempus, & incertum usum conceditur *l. 1. ff. de precar.* Vid. *Schneid. §. 5. Inst. de interd. n. 58. 7.* Usufructuarius civiliter possidet usumfructum, dicitur enim dominium usumfructus habere *l. 15. §. 8. ff. quod vi aut clam.* Unde proprietarius dicitur usumfructum non habere *l. 63. ff. de usufr.* hinc fit, quod usumfructum etiam vindicare possit *l. 1. in pr. ff. si usufr. petat.* Actio autem in rem competit ei qui aut jure gentium, aut jure civili dominium acquisivit *l. 23. ff. de R. V.* 8. Qui ex secundo decreto in possessionem missi sunt, possidendo dominium, capiunt *l. 12. l. 15. §. 16. l. 18. §. 15. l. 44. §. 1. ff. de dam. infect.*

IX. Utramque possessionem tam naturalem quam civilem, *Bachov. vol. 2. disput. 21. p. m. 261.* dividit in Simplicem & Mixtam. Illam vicissim diversimodè dispescit, considerans eandem 1. quoad subjectum, in quo possessio hæreat, & quis possideat, quò refert servum, qui naturaliter possessionem adipisci dicitur *l. 2. §. 11. ff. pro empt.* quanquam aliàs possidere negetur *l. 49. ff. de A. v. A. P.* id tamen intelligendum monet, quatenus potestati dominicæ subjectus est, & nudum ministerium domino præstat. 2. quoad ipsam possessionis qualitatem in nuda detentione consistentem, in qua nil est præter jus detinendi; quomodo iterum dupliciter consideratur, vel quatenus est prorsus nuda, qualis est depositarii *l. 17. §. 1. ff. depos.* vel non planè nuda, utpote conjugis in re donata *l. 1. §. 4. ff. de A. v. A. P.* Deinde considerari potest quatenus vel effectus concomitantes à jure Civili sibi tributos habet vel non, sed in mera naturalitate quodammodo subsistit; ad quam speciem itidem refert possessionem servi, itemque depositarii, ductus *l. 2. §. 1. ff. pro hered. l. 7. §. 11. ff. comm. divid.* nec non ejus qui ex primo decreto in possessionem missus est *l. 1. §. 1. ff. Ne vis fiat ei &c.* Et quamvis is alibi puta *l. 3. §. fin. ff. de A. v. A. P.* possidere negetur, id tamen non simpliciter, sed secundum quid accipiendum arbitratur. Quod colligit partim ex *l. 7. §. 8. ff. comm. divid.* partim exinde; quia interdicto eidem profectum est *l. 1. ff. Ne vis fiat ei &c.* Hinc adversus eos qui naturaliter tantum possidere dicuntur, datur actio ad exhibendum *l. 3. §. fin. ff. ad exhib.* Confer *l. 9. ff. de R. V.* Unde 3. concludit quod quædam possessio naturalis sit simpliciter talis, quædam secundum quid. Mi-  
xta

ita vero naturalis & civilis simul dicitur illa esse, quæ jure gentium  
 introducta & à jure civili approbata, ad cuius constitutionem jus na-  
 turale cum civili concurrat, quæ iterum dupliciter considerari potest  
 vel quatenus plena pluribus effectibus juris ornata est, habens effe-  
 ctum usucapiendi, vel minus plena habens effectum experiendi re-  
 mediis possessoriiis. Denique Civilem nudam appellat, quæ à mero  
 jure civili introducta, & facultate rem corporaliter apprehendendi  
 destituta; cujusmodi dicit esse debitoris *l. 16. ff. de usucap. domini*  
*respectu Servi fugitivi l. 13. & l. 15. ff. de A. v. A. P.* Servi quo ad res pe-  
 culiarias *l. 1. §. 5. ff. eod.* & captivi quoad res per servos possessas *l. 12.*  
*§. 2. ff. de captiv. & postl. rever.* Insuper notandum, quod possessio  
 diversimodè & naturalis & Civilis dici possit; puta possessio credi-  
 toris naturalis dici potest; quia caret effectu usucapiendi *l. 16. ff. de*  
*usucap.* Eadem civilis non injuriâ appellari potest; quia creditor  
 potest rem vindicare actione hypothecariâ, & aliis remediis posses-  
 soriis eandem recuperare. Etenim sicut omnis obligatio civilis ré-  
 ctè vocatur, quæ actionem producit, ita nec absurdè dicitur civilis  
 possessio, quæ interdictis possessoriiis defenditur & recuperatur,  
 quamvis omnis civilis possessio hunc effectum non habeat *Bachov.*  
*in d. vol. 2. Disp. 21. th. 1. lit. F. p. m. 263.* Cum igitur fructuarius, inquil-  
 nus & colonus possidere negantur *l. 6. §. 2. ff. de precar. & misli in*  
*possessionem rei servandæ causa l. 3. §. 8. ff. uti possit. l. 10. §. 1. ff. de*  
*A. v. A. P. l. 3. §. fin. ff. eod.* Itemque qui aliis possident; tum respon-  
 dendum ad omnia ista loca & similia quæ passim occurrunt, cum  
*Bachovio & aliis*, Jctos loqui de possessione per excellentiam & in si-  
 gnificatu famosiori, quatenus civilem denotat. Quæ responsio confir-  
 matur exinde, quod fructuarius, colonus misli quæ in possessionem  
 alibi in jure Romano expressè possidere dicantur. Cui omninò con-  
 sequens est, in omnib. illis locis quibus prædicti possidere negantur,  
 possessionem naturalem non intelligi, nisi quis apertam legum con-  
 trarietatem admittere velit, à qua tamen Jcti abhorrent, usque dum  
 leges commodè conciliari queant. Vid. *Hunn. Var. resot. lib. 2. tract.*  
*4. quest. 20.*

X. Licet Divisio in thes. 7. expressa, sit satis decantata; claris-  
 que textibus juris suffulta; tamen reperiuntur non pauci qui eandem  
 reprobare attentant, in quorum numero sunt præter alios: *Azo; Za-*

*Jus, Placentinus, Hilligerus aliiq;* statuentes unam saltem possessionis speciem dari videlicet naturalem, eandemque approbatione & extensione Civilem reddi, ita ut ab hac tribuatur illi robur & vires, quam rationem *Hillig. lib. 5. c. 7. lit. A.* unice urget. Unde talis prodit argumentatio: Si jus Civile possessionem naturalem tantum approbet eique vires addat, utique una erit possessio; Sed verum p. E. p. Verum ad hoc argumentum responderi potest negando consequentiam. Nam hac ratione corrueret quoque illa decantata divisio, quam obligatio in naturalem & civilem dispescitur: illa enim à juris authoritate vim accipit, unde etiam certi limites à jure civili eidem, sunt præscripti. Deinde ad minorem itidem negando; nam is qui fundum alterius ita ingreditur, ut revertentem dominum non admittat, sed animum possidendi eidem prorsus excutit, civiliter possidet *l. 25. §. 2. ff. de A. v. A. P. l. 44. §. 2. in fin. ff. eod. l. 1. §. 24. ff. de vi & vi arm.* qualem tamen jus civile non approbat; quia talis acquisitionem possessionem per vim obtinet *l. 1. §. 28. ff. de vi & vi armat.* Vis autem tam jure civili quam naturali prohibetur & improbat. Unde patet civilem possessionem robur suum, ab approbatione juris civilis non fortiri; sed potius ab opinione domini, unita cum intentione sibi habendi, quam distinguitur à naturali, quæ opinio sive à justo titulo sive non dependeat perinde est, ejusmodi enim qualitates versantur circa possessionum in esse jam deductam. Huc etiam non incommode referri possunt ea quæ *Fachin. 8. cont. 5.* habet; ubi triplicem ob causam naturalem & civilem possessionem appellari ait. 1. respectu personæ, puta servi *l. 24. ff. de A. v. A. P. l. 38. §. 7. ff. de V. O. 2.* respectu causæ; nam si causa jure approbata sit, civilis dicitur possessio, si non sit approbata, naturalis *l. 1. §. 9. ff. de vi & vi arm. l. 26. ff. de donat. in vir. & uxor.* 3. respectu modi possidendi, nam qui corpore possessioni insitit, dicitur naturaliter possidere: qui animo possessionem retinet civiliter *l. 15. §. 3. ff. de precar.* Ex hisce liquet possessionem non tantum ratione approbationis; sed etiam ob alias circumstantias civilem dici posse. Nec *Dn. Biccii* argumentum firmo videtur stare talo, quod habetur in *Comm. ad l. 3. §. 5. ff. de A. v. A. P. p. m. 17.* Ubi dicit in una illa possessione varias habitudines & qualitates dari, & respectu earundem hæc species differre, unde, porro *p. 19.* ait effectibus ab accidentariis illis qualitatibus dependen-

dentibus easdem etiam distingvi. Nam diversi illi effectus ab accidentariis qualitatibus dependentes, arguunt suas causas à quibus profliunt. Si igitur effectibus distingvantur, ut ipsemet fatetur; utique etiam causis formalibus speciem constituentibus distingvantur. necesse est; quandoquidem omnis operatio & qualitas à forma pululant, juxta illud effatum philosophicum; forma dat esse, distingvi & operari. Neque altera ratio evincit quod Author intendit, quà dicit *p. 18.* absurdum esse unum individuum sub duabus esse speciebus; quia inquit, in unam numero possessionem, contrariæ qualitates diverso tempore succedunt. Quod exemplo quodam declarat, dicens quendam rem alienam à non domino emisse, quem tamen putavit dominum esse: eundem proinde b. f. & opinione domini, atque ita civiliter possidere *Inst. de usucap.* Cum vero is cognoverit se rem à non domino acquisivisse, amittit quidem b. f. & opinionem domini, atque ita desinit possidere civiliter. Verum in hoc exemplo, in unam numero possessionem contrariæ qualitates non inducuntur; nam quamprimùm opinio domini quæ forma est civilis possessionis amittitur, tum statim eo ipso amittitur quoque civilis possessio; nam forma mutata propè interimit substantiam rei *l. 9. §. 3. ff. ad exhib.* hinc propter diversitatem formæ, res diversa esse dicitur *l. 18. §. 3. ff. de pignor. act.* atque ita non manet amplius una numero possessio, multò minus unum individuum. Itaque distingvendum est inter esse materiale & formale. Illud durat; hoc vero perit. Præterea responderetur absurdum non esse contrarias qualitates diverso tempore, in unum aliquod individuum induci. Ita in unum individuum verbi causa Paulum, qui hoc tempore sobrius est, potest alio tempore ebrius esse; ebrietas & sobrietas diverso tempore sine absurditate succedunt, oppositio enim non tantum eidem, ad idem, eodem modo; sed etiam eodem tempore fieri debet; quod ultimum requisitum in exemplo Dn. Bicci aquæ ac in altero à nobis adducto consideratur. Ultimò tandem ita argumentatur: Si possessio facti est; utique est individua; Sed verum prius E. Connexionem probat ex *l. 72. pr. ff. de V. O.* Ubi dicitur quod stipulationes non dividantur. Minorem autem ex *l. 1. §. 4. ff. de A. v. A. P. l. 19. ff. ex quib. caus. major. l. 12. §. 2. ff. de capt. & postl. revers.* quam rationem ex mente Zaffii Achilleam vocat *p. m. 18.* Ad eam tamen respondere conabimur.

*1. Negando Consequentiam.* Nam Ulpianus in *d. l. 72. ff. de V. O.* non loquitur de veræ possessionis divisione; sed de rerum individuarum stipulatione, quarum rerum mentio fit etiam in pr. legis sc. itineris, actus, aquæ ductus cæterarumque servitutum quæ naturâ suâ divisionem non admittunt *l. 2. §. 1. eod.* quarum usus etiam indivisus *l. 17. ff. de servit.* Emptor tamen partis prædii dominantis, pro rata partis emptæ jus servitutis consequetur à domino prædii servientis, unde pro modo agri detenti aut alienati aquæ divisio fieri dicitur *l. 25. ff. de S. P. R.* Unde patet Ulpian. in *d. l. 72.* loqui saltem de quasi possessione, quæ etiam certo respectu ut dictum, divisionem admittit. Itaque Major simpliciter vera non est. 2. ad Minorem, explicando i. phrasin, quid sit facti esse. Dicuntur autem Ictis esse facti quorum essentia vel existentia, non primariò à legis auctoritate, sed factò nostro dependet; possessio tamen non perit, licet nihil facti respectu possessoris fiat, utpote si furere incipiat aut dormiat *l. 27. ff. de A. v. A. P. l. 31. §. 3. ff. de usucap.* 2. Demonstrando possessionem meri facti non esse, quia ex factò servi domino ignorantì & nihil ad possessionem agentis acquiritur *l. 34. §. 2. ff. de A. A. P. l. 1. §. 20. ff. eod.* & infanti auctoritate tutorum *l. 32. §. 2. ff. eod.* Quod non fieret si possessio simpliciter facti esset; ea enim quæ facti sunt, ad alium non transeunt *l. 44. ff. de condit. & demonstr.* Quamquam nec meri juris dici potest; quia non tantum in acquirenda *l. 3. §. 1. ff. de A. v. A. P.* sed etiam in conservanda *l. 22. ff. eod.* imò in amittenda *l. 3. §. 18. ff. eod.* factum requiritur. Et cum jus & factum, in possessione concurrant, ideò possessio naturalis, dicitur plurimum ex jure mutuari *l. 49. ff. de A. v. A. P.* & possessio civilis dicitur plurimum facti habere *l. 19. ff. ex quib. caus. major.* De qua re vid. *Pac. ἐναλλοφανῶν Cent. 6. quæst. 95. Fachin. 8. contr. 5.* Hinc consequenter etiam patet propositionem Minorem, simpliciter veram non esse.

XI. Prædictæ Divisionis beneficio, potest etiam quæstio aliàs maximè intricata & perplexa decidi, quæ quæritur, an duo possint eandem rem in solidum id est totam rem possidere? Etenim cujuscunque rei quis possessor dicitur, eam aut totaliter aut partialiter possideat necesse: si illo modo utique in solidum; si hoc tum aut divisim aut indivisim, utrinque tamen rei certæ possessio obtingit.

Quan-



Quamquam partì indivisæ incertitudo inde videatur adnasci, quoniam in sensu non incurrit, tamen certitudo ejus elucescit ex ratione portionis illius quæ cuilibet pro rata debetur. Alterius vero partis sc. divisæ certitudinem monstrat ipse locus *l. 26. §. l. 43. ff. de A. v. A. P. l. 4. §. 1. ff. pro empt.* Hisce prælibatis proprius nos accingimus ad quæstionis decisionem, præprimis tamen enumerantes tres illas celebriores opiniones, quas circa hanc quæstionem fovere solent Icti, quarum prima est eorum, qui unum civiliter, alterum naturaliter possidere affirmabant, quæ Sabinianis adscribitur, & communi Doctorum calculo vel ipso *Dn. Biccio teste p. 20.* approbata dicitur. Altera est statuentium duos civiliter possidere posse, quæ Sententia præter alios Petrum Rogerium propugnatores habuisse dicitur. Tertia denique eorum est, qui penes duos naturalem possessionem esse asserbant; quam inter alios *Bartholus* fovisse dicitur. Nos relictis duabus posterioribus sententiis, primam tanquam vero consonam acceptamus eamque claris textibus, ex meditullio juris depromptis, stabilire studebimus. (1.) ex *l. 15. §. 4. de precar.* Ubi Pomponius dicit eum qui precariò rogavit, ut sibi possidere liceat, nancisci possessionem, asserens penes utrumque esse, cum penes eum qui rogavit quæ possederat corpore, tum penes dominum; quia non discesserit animo possessione. Quid vero sit penes esse explicat Ulpianus *l. 63. ff. de V. S.* dicens idem esse, quod quodammodo possidere. *Conf. l. 22. ff. eod.* Hic diligenter notandum, quod Ictus in *d. l. 15.* notanter adjecerit, quod precarium impetrans in ipsa petitione omninò addere debeat hæc verba, ut sibi possidere liceat *l. 2. ff. 3. ff. de precar.* Nam aliàs in possessione saltem esse dicitur *l. 10. §. 1. ff. de A. v. A. P.* id eò precarium simile commodato dicitur *l. 1. §. 3. pr. ff. de prec. cujus possessio cum proprietate penes concedentem manet l. 8. §. 9. ff. commod.* (2.) ex *l. 3. ff. uti possid.* Ubi Ulpianus ita auspicatur: si duo possideant in solidum, videamus quid sit dicendum. Proponit enim ibi casum concernentem possessionem justam & injustam, & dicit, se ex justa causa: alterum vero vi aut clam possidere; qualis possessio injusta est *l. 7. §. 4. ff. comm. divid.* Decisionem autem ita format; si à me possides, superior sum interdicto, si vero non à me neuter nostrum vincetur; nam & tu possides & ego. (3.) ex *l. 6. §. 1. de A. v. A. P.* ubi absens civiliter & justè, & alter ingressus naturaliter & injustè possi-

possidet. (4.) Notabile exemplum lucet in *l. 35. §. 1. ff. de pignor. act.* Ubi possessio ita dicitur transferri ad creditorem, ut debitor re sua pro conducto utatur, unde creditori locanti est animus possidendi & retinendi, conducenti vero non est animus possessionem adipiscendi *l. 37. ff. eod.* hinc creditor per eos qui hypothecam dederunt, & eandem ab eodem conduxerunt, possidere videtur *l. 37. ff. de A. v. A. P.* Eandem tamen rem dicitur debitor possidere etiam, quoad usucapionem *l. 1. §. 15. ff. de A. v. A. P. l. 16. §. 33. §. 4. ff. de usucap.* Hinc *l. 13. ff. de usucap.* dicitur res pignori accepta non posse usucapi, quia pro alieno sc. hoc respectu possidetur. Interim tamen jus hypothecæ 40. annis præscribitur *l. 7. §. 1. C. de præscript. 30. annor.* Aliàs etiam creditor possessor esse negatur *l. 15. §. 2. ff. qui satisd. cogant.* ut creditor onere satisfaciendi levetur. Quod exemplum Dn. Biccium ita stringit, ut propriæ conscientiæ quali stimulo adactus fateatur *p. 69.* creditorem rem sibi pignori traditam verè ac propriè naturaliter tamen possidere. Quod vero statuat creditorem solum possidere, in eo videtur impingere in leges pro debitore modò allegatas. Et cum concedat quod creditor possideat naturaliter, concedet etiam illud quod alter possideat civiliter; nam dato uno oppositorum, dabitur & alterum: Civilis enim possessio naturali opponitur. Possunt igitur duo unam rem in solidum, diverso possessionis genere possidere. Ita sentiunt: *Tholos. in Syntag. jur. univers. p. 13. Duarenus p. 642.* quem tamen Dn. Schnobelius disput. 20. thes. 21. pro negativa sententia minus rectè allegat. *Bachov. in Treutl. disp. 21. thes. 3. lit. K. p. m. 321. Schneid. §. 5. Inst. de Interd.*

XII. Ratione qualitatis solet possessio etiam dividi in justam & injustam *l. 3. §. 5. ff. de A. v. A. P. l. 2. §. 3. ff. uti possid.* Illa est, cum quis ex justa causa rem possidet *l. 1. ff. pro suo. l. 3. §. 21. ff. de A. v. A. P.* Quò spectat etiam si quis auctore prætoris possidet *l. 11. ff. d. rit.* Qualis possessio contingit 1. quando judex non quidem ex primo, sed ex secundo decreto jubet rem non caventis de damno infecto possideri *l. 5. ff. comm. divid. 2. per adjudicationem l. 2. l. 3. in fin. ff. fin. reg.* Cujusmodi exemplum occurrit etiam in Jur. Svec. *c. 31. Tingm. B. I. I.* his verbis: *förtyn thet togs medh domom uth: och en annars.* Hinc b. f. possessor dicitur qui auctore judice comparavit *l. 137. ff. de R. I. l. 28. in fin. ff. de nox. act. 3. Per assignationem. §. 1. Inst.*

§. 1. *Inst. de assignat. libert.* 4. per adjectionem §. 1. *Instit. de eo cui libert. caus. bon. addicant.* l. 4. §. 7. ff. de fideicomm. libert. 5. Per jus accrescendi l. 59. in fin. ff. de acquir. hered. 6. Per institutionem extranei heredis testamento factam, possessio justa accidit. §. 7. *Instit. de hered. qual. & diff.* vid. *Tholos. in Synt. jur. univers. lib. 1. C. 13. p. 14. n. 27.* Hæc verò sc. injusta, cum quis vi aut clam in alienam possessionem irrumpit i. e. qui vacuum possessionem, furtim, re ipsa actualiter, ignorante eo cujus interest, ac metuens sibi moveri ejus controversiam, nullà denique ratione motus apprehendit l. 6. §. 1. l. 25. §. fin. ff. de A. v. A. P. l. 1. §. 18. ff. eod. l. 67. ff. de furt. Dicitur verò ita ratione qualitatis possessio dividi, quoniam justum vel injustum esse, à titulo & scientia proficiscitur, minimèque ipsam possessionis essentiam ingrediatur, ut sæpius antea dictum.

XIII. Definitioni & Divisionibus excusis succedunt causæ (quæ aliàs tituli dicuntur l. 4. C. de contrab. empt.) ex quibus possessio acquiritur, quas Jctus partim in l. 1. ff. pro suo. partim in l. 3. §. 21. ff. de A. v. A. P. recenset; quales sunt: pro emptore, pro legato, pro donato, pro dote, pro herede, pro noxæ dedito, pro suo, sicut in his quæ terrâ marique vel ex hostibus capimus, vel ipsi ut in rerum natura sint fecimus. *Bachov.* tamen asserit omnes causas ibidem non exprimi *Vol. 2. Diss. 21. p. m. 270.* Idem alia his adjiciuntur puta rei judicatæ l. 3. §. 1. ff. de pub. in rem act. vel si res tradita sit solvendi causa, unde nascitur titulus solutionis l. 4. ff. de pub. in rem. adjudicatio l. fin. *Inst. de offic. jud.* l. 7. ff. de pub. in rem. permutatio d. l. 7. §. 5. ff. eod. jusjurandum, si quis juret rem suam esse d. l. 7. §. 6. ff. eod. causa pignoris & precariæ l. 13. §. 1. ff. de pub. in rem act. l. 7. §. 4. ff. *Comm. divid.* In *Jur. Suec.* puta C. 1. *Jordb. U. 5.* recensentur causæ possessionis rei immobilis: Fem åro lagafång Jorda i Sveriges laghum. Ett år arff/om laglika årff/år: annat år skipte am laglika skipt år. Tredje år köp/ am laglika köpt år. Fjerde år gåff am laglika gifwit år. Fempte år wädsätt/ am laglika wedsätt år och förståndin år.

XIV. Causa verò illa ex qua possessio denominatur dicitur titulum possessioni, isque justus in omni possessione ad præscribendum habili desideratur l. fin. C. de Usucap. pro hered. l. 4. C. de

D

pra-

*prescript. long. temp. l. 24. C. de R. V.* Hinc in jure Suec. C. 1. Jordab. 2. titulus ille exprimitur his verbis: *Alt laghfångit är rettfångit.* Quales tituli in superiori thesi modò enumerati sunt, eorumque explicationem pro re nata sequens thesis breviter exhibebit.

XV. Itaque 1. pro emptore possidet qui vel reverà emit, non enim sufficit opinari se pro emptore possidere; sed debet causa emptionis subesse *l. 2. ff. pro empt.* Ita in Jur. Suecan. C. 15. Ziufb. 22. in fin. dicitur: *wart och wingat/tå är laglika köpt Conf. c. 7. Röp. S. 2.* vel qui litis æstimationem obtulit pro emptore incipit possidere *l. 1. 3. ff. pro empt.* æstimatio enim vim habet emptionis. Præstita igitur emptione rei præsentis, dominium rei statim transit in possessorem, cum ejus possessionem nactus fuerit voluntate actoris *l. 46. ff. de R. V. l. 7. §. 1. ff. de pub. in rem act. l. 22. ff. rer. amot. l. 5. §. 1. ff. Commod. l. 21. §. 2. ff. de evict.* 2. Pro legato possidet, cui revera legatum *l. 1. ff. pro legat.* Cujusmodi possessionis mentio fit in Jur. Suec. C. 19. Erfdab. S. 2. 3. Pro donato cui donationis causa res tradita est, nec sufficit opinari, sed & donatum esse oportet *l. 1. ff. pro donat.* Hujus mentio fit in J. S. c. 18. §. 1. Erfdab. S. 2. *Nu än gårdar/Jord eller andre ågur äre gifna honom etc.* 4. Ut titulus pro dote Usucapionis iustissimus titulus dicitur *l. 1. ff. pro dot.* Ita etiam possessionis dici potest, cum usucapio sine possessione contingere non possit *l. 25. ff. de Usucap.* In J. S. c. 14. Siffumb. 22. *Tå hafwer han wisord medh tolf manna Gedhe/att thetta war honom målt å festninge stämno och gifwit å gifto qwälde.* 5. Pro herede qui putat se heredem esse *l. 11. ff. de hered. petit. §. 3. Inst. de Interd.* vel justam causam habuerit existimandi se heredem esse *l. 33. §. 1. ff. de Usucap.* vel qui res alienas à defuncto in hereditate relictas possidet per *l. 1. ff. pro hered.* In Jur. Suec. c. 15. §. 7. Kong. S. *Hafwer och nålör byamans Son eller Swen arff i nålrom Stadh i Swerike ärffr.* 6. Pro suo possidet Generaliter is, qui vel ex tali causa ex qua dominium acquiritur possidet *l. 1. ff. pro suo.* Unde in Jur. Suec. c. 14. Röp. B. S. 2. dicitur: *The byamans swena som hafwa sitt egit. vel aliàs ex causa donationis emptionis &c. & pro emptore & pro suo possidere dicitur d. l. 1. ff. pro suo.* Specialiter verò pro suo possidere

dere dicitur, qui deficiente alio titulo ex æquitate se tuetur, quò modo possidemus omnia quæ mari, terra, cælo capimus, aut quæ alluvione fluminum nostra sunt. Item quæ ex rebus alieno nomine possessis nata, possidemus: veluti partum hereditariæ aur emptæ ancillæ, pro nostro possidemus &c. *l. 2. ff. pro suo.* Cujusmodi exemplum etiam in Jure Suec. videtur haberi de re inventa in littore maris, cujus triens inventori; possessori verò duæ partes cedunt, ut patet ex *C. 14. Titulo. S. 1.* Hitter man wraf å salto watne / eller siðstrand friske / thet retter ågande år eigh nâr / eller hans budh / och weet eig hwart hans år kommit: Inser hatt thet laglifa / tå åger han tridjung som hitte / och åganden twelurt Conf. *C. seq. cum undec.* ejusdem tit. de furtis. Pro derelicto dicitur quis possidere eas res quas aliquis eo animo abjicit, ut in rerum suarum numero esse nolit *l. 1. l. 2. C. l. 5. S. 1. ff. pro derel. l. 36. ff. de Stipulat. Servor. S. 47. Inst. de R. D. Verum merces levandæ navis causa in tempestate ejectæ dominorû erunt, quia palam est eas eo animo non ejici, quod quis eas habere nolit, sed quò magis periculum maris effugiat *S. 48. Instit. de R. D. l. 7. ff. pro derel. l. 9. S. 8. ff. de A. R. D. Idem evincitur etiam ex Jur. Suec. c. 11. S. 1. Skip. B. S. 1.* Thet gog thet Wthfastas giåldes åter. Si verò animo derelinquendi quis projecet, tum inventori res cedit, nec furti tenetur *l. 43. S. 11. ff. de furt.**

XVI. Circa causas illas etiam agitari solet hæc quæstio, quâ quæritur, an quis ex pluribus causis simul possidere possit? Quam Paulus *l. 3. S. 4. ff. de A. v. A. P.* affirmare viderur. Idque duobus exemplis declarat, quorum unum est de eo qui rem aliquam emit & postea eandem usucapit; illius possessionis Una causa est emptio, atque sic titulus pro emptore possessori indubitoritur *l. 2. ff. pro empt.* Cui accedit titulus pro suo, non solum ante usucapionem; sed etiam post eandem, quemadmodum Ulpianus asserit *l. 1. S. 1. ff. pro suo.* his verbis: incipio & ante usucapionem pro meo possidere, quas causas idem Ulpianus ibidem combinat proferens in *l. 1. ff. eod.* hæc verba: ex causa emptionis & pro emptore & pro suo possideo. Altera autem causa est usucapio; nam longo tempore rem possidendo potest quis eandem usucapere *arg. l. 3. ff. de Usucap.* imò triennio res mobilis usucapi

potest. *Inst. de Usucap. Cui conuenit Jus Suec. C. 15. in fin. Erfdab.*  
§. 1. Behlele hwar skylskap sin får ån triggia åhra hæff åkommer/  
eller åge den arff som i Handom hafwer. Immobiles verò per  
longi temporis præscriptionem i. e. inter præsentés 10. inter ab-  
sentes 20. annis usucapiuntur *Instit. de Usucap. l. un. C. de Usucap.*  
*transform.* De Jure verò Suecano res immobiles etiam triennio  
usucapiuntur *C. 18. Jordab.* §. 1. Alle the jorda man hafwer ohin  
drade och oqwalda innan trey åhr / hwadh thet år köpt eller skipte/  
och witne thet tolff mån / hafwi ingen wåld å the jord tala som så  
lenge hafwer oqwald ståndit. *Conf. C. 14. in fin. eod.* Quocirca  
rem talem pro suo rectè quis possidere dicitur. Alterum verò  
exemplum agit de eo, qui succedit ei qui pro emptore rem possi-  
debat. Ubi heres quo ad suam personam pro herede; quo ad  
personam verò defuncti rem eandem quam ille emit pro empto-  
re possidere videtur; atque sic ex eadem causa ex qua possideba-  
tur à defuncto, etiam ab herede possidetur. Plura exempla pro-  
ponit Ulpianus in *d. l. 1. ff. pro suo.* in rebus nobis donatis & lega-  
tis, quas non tantum pro donato & legato; sed etiam pro suo  
quis possidet. Rationem hujus rei Ictus etiam ibidem sc. in *l. 3.*  
*§. 4. ff. de A. v. A. P.* subjungit, ostendens differentiam inter do-  
minium & possessionem, dicens nos non posse ita ex una dunta-  
xat causa possidere, sicut dominium non potest nisi ex una causa  
contingere. Præterea videtur ipsa utilitas exigere, ut quis ex plu-  
ribus causis propter majorem certitudinem rem possidere pos-  
sit; sic enim melius dominium rerum quas possidemus acquiritur,  
ut si ex una causa possessio interrumpatur, ex alia vicissim  
causa possit usucapi, atque ita possessionem suam tot titulis con-  
firmando prudenter sibi caveret & prospicit, ut quicquid accide-  
rit, res sibi acquiratur. Si igitur ita evenerit, ut aliquis unam rem  
ex pluribus causis puta pro donato & pro emptore possidens, in-  
terdictum possessorium instituat allegando unam saltem causam  
v. c. emptionis, in qua probanda forte deficiat, atque ita causa  
caderet, ei non interdicitur interdicto eodem, quo possessionem  
sibi assererat ex aliis causis puta hereditatis, uti, non refragante  
rei judicatæ exceptione, ut loquitur *Dn. Bicc. p. 228.* asserens ali-  
am rem in judicium deductam esse. *Vid. Hill. lib. 5. c. 16. in fin.* Nec  
refert

refert an causæ istæ in idem tempus concurrant vel non? In priori enim exemplo Paulino nõ concurrunt: in posteriori verò possessio eodem tempore ex utraque causa contingit.

XVII. Præterea & hoc circa causas illas notandum, quod nemo causam possessionis suæ mutare possit *l. 3. §. 19. ff. de A. v. A. P. l. 6. §. 3. ff. de precar. l. 5. C. de A. & R. P. l. fin. ff. si pars hered. perat.* Cuius effati hic sensus est, ut qui ex aliqua causa non possidet, proposito ac destinatione sua, ut ex ea possideat efficere nequit, ne quidem si b. f. subesse putet: falsa enim cogitatio non juvat *arg. l. 6. ff. ad Municip.* quia mutatio illa nihil aliud est quam novæ cujusdam possessionis adeptio, quæ solo animo fieri nequit *l. 3. §. 1. ff. de A. v. A. P.* Verum si factum intervenierit, vel alterius qui jus in re habet, vel etiam solius possessoris aut detentoris, tum mutationem fieri statuunt Dd. mutatur enim causa extrinsecus ab alio *l. 5. C. de A. & R. P.* veluti si colonos fundum pro suo possidere sibi in animum inducit, non mutabit causam possessionis antequam dominum expellat, vel eundem venientem non admittat, per qualem exteriorem actum causa mutari potest: hinc factio proprio possessio injusta mutatur in aliam injustam clandestina in violentam *l. 6. §. 1. ff. de A. v. A. P. l. 25. §. 2. ff. eod.* & possessio nulla in aliquam veluti si depositarius rem penes se depositam lucri faciendi causa contrectaverit, deprensus possidere desinet *l. 3. §. 18. ff. de A. v. A. P.* Est autem verum 1. quoties quis sciret se b. f. non possidere, & lucrifaciendi causa inciperet possidere *l. 33. §. 1. ff. de Usucap.* 2. Non procedit de eo qui dimissa possessione ejusdem rei, denuò ex alia causa possessionem nancisci velit; sed de eo qui & corpore & animo possessioni incumbens, hoc solum statuit, ut alia ex causa id possideret *l. 19. §. 1. ff. de A. v. A. P.* 3. Non solum de civili; sed etiam de naturali possessione, dictum illud prædicari potest *l. 2. §. 1. ff. pro hered.*

XVIII. Expositis causis. Sequuntur personæ possessio nem acquirentes, in quibus principaliter desideratur affectio possidendi *l. 1. §. 3. ff. de A. v. A. P.* Per personam hic intelligitur tam nostra propria; quia per nos metipsos possessionem adipiscimur *l. 1. §. 2. ff. de A. v. A. P. l. 10. ff. de A. R. D.* quàm aliena.

Alienæ verò personæ sunt tales, quæ vel jure aliquo nobis sunt  
subjectæ, vel nullo. In illarum classẽ referuntur cum primis  
servi qui dominis suis acquirunt *l. 10. §. 1. ff. de A. R. D.* etiam in-  
viti *l. 32. ff. eod. & ignorantibus l. 34. §. 2. ff. de A. v. A. P. §. 3. inst.*  
*per quas pers. cuiq; acquir.* Naturalis enim simul & civilis ratio  
svalit, alienam conditionem meliorem quidem etiam ignorantis  
& inviti nos facere posse: deteriore verò non *l. 39. ff. de negot.*  
*gest.* præcipuè quidem earum rerum quas peculiariter tenent,  
ignorantes possessionem acquirimus *l. 1. §. 5. ff. de A. v. A. P. l. 3.*  
*§. 12. ff. eod. & l. 44. §. 1. ff. eod. l. 31. §. 3. ff. de Usucap.* Aliarum  
verò rerum scilicet non peculiarium scientes per eosdem acquirimus  
& usucapimus *l. 2. §. 11. ff. de pro empt.* Si verò servus com-  
munis sit, & ex re alterius dominorum acquisiverit, nihilominus  
commune erit *l. 45. ff. de A. R. D.* Nam is sic omnium est, non quasi  
singulorũ totus, sed pro partib. indivisis ut intellectu magis partes  
habeat, quã corpore. Et ideò quicquid talis acquirat, id omnib.  
acquirat pro parte ea, qua dominium in eo habent *l. 5. ff. de Stipul.*  
*Serv.* Non obstat *l. 19. ff. de Stipul. Serv.* Nam ibi agitur de casu servi  
possessi à duobus non dominis, quibus cum tantum acquirat ex  
operis suis & re ipsorum, non potest quod ex unius re quæsitum  
est, alteri acquiri, perinde ut accidit, ubi unus dominorum rei,  
quam servus etiam simpliciter stipulatus fuit, incapax est, juxta  
*§. fin. Instit. de Stipul. Serv. Bachov. Vol. 2. Disp. 21. thes. 3. lit. D. p.*  
*m. 298. Pac. ἐναρθησαν Cent. 6. quæst. 91.* imò per servum com-  
munem sicut per proprium acquirimus etiam singuli in solidum,  
Si hoc agat servus, ut uni acquirat sicut in domino acquirendo  
*l. 1. §. 7. ff. de A. v. A. P.* aliàs verò quicquid servus jussu domini  
acquirat, tum ei soli acquirat *l. 6. ff. de Stip. Servor.* etiam per ta-  
lem servum in quo usumfructum habemus vel ex re nostra vel  
ex operis servi nobis acquiratur *l. 49. ff. de A. v. A. P. l. 10. §. 3. ff.*  
*de A. R. D. §. 3. Inst. per quas pers. cuiq; acquir.* nec ad rem pertinet,  
quod ipsum non possideamus, nam nec filium *l. 1. §. 8. ff. de*  
*A. v. A. P.* Per servum denique fugitivum etiam acquiratur nobis,  
quamdiu ab alio non possideatur *l. 1. §. 14. ff. eod. l. 25. §. 2. in*  
*fin. ff. de liber. caus. Conf. l. 13. & 15. ff. de A. v. A. P.* Ubi dicitur  
quod talis servus possessionem sui intervertere nequeat. Et cum  
possi-



possideamus eum, mirum non erit, si possessio per eundem nobis acquiratur. Excipitur tamen is qui ad libertatem proclamatur, & diu in libertate est moratus *l. 3. §. 10. ff. de A. v. A. P.* Non obstat *l. 15. ff. de pub. in rem act.* Ubi Pomponius dicit se per Servum fugitivum possessionem nactum non esse. Nam dicta lex intelligenda est de possessione naturali, qua per talem Servum non acquiritur; quia possessio quam dominus in tali servo retinet, merè civilis est, unde *Bachov. Vol. 2. Diss. 21. p. 290.* colligit talem quoque esse earum rerum, quas servus talis apprehendit, possessionem nempe civilem. Non tamen per quosvis servos acquiritur; nam per servos pignori datos non acquiritur *l. 1. §. 15. ff. de A. v. A. P.* Debitor enim hunc servum desit possidere, eò quod possessio in creditorem transferatur *l. 9. §. 2. ff. de pignor. act.* Neque per hereditarios heredi *l. 1. §. 16. ff. de A. v. A. P. l. 18. ff. de A. R. D. l. 43. ff. de acquir. hered.* Sed hereditati enim defuncti non heredis personam sustinet *l. 34. ff. de A. R. D. l. 22. ff. de fidejuss. l. 24. ff. de novat. Instit. de Stipul. Serv. in pr. l. 13. §. 2. ff. ad leg. Aquil. l. 43. ff. eod. l. 15. ff. de Interrogat.* Unde in multis partibus juris pro domino habetur, adeoque hereditati quoque ut domino per servum hereditarium acquiritur *l. 61. ff. de A. R. D. l. 31. §. 1. ff. de hered. instit. l. 15. in fin. & l. 22. ff. de Usucap. l. 116. §. 3. ff. de legat. 1.* De Servis hoc in genere notandum probè, quod per illos possessio nobis acquiratur, si & ipsi nobis acquirere velint *l. 1. §. 19. ff. de A. v. A. P.* quò spectat quoque ancilla, perquam quis possessionem non secus ac per Servos nancisci potest *l. 1. §. 12. ff. eod.* Porrò eò referri solent etiam filii, ratione patriæ potestatis, qui olim parentibus suis, exceptis peculiis castrensibus *l. 10. ff. de pec. Cast. Conf. l. 67. C. de bonis quæ lib. in potest. omnia acquirere §. 1. Instit. per quas pers. cuique acquir. l. 1. §. 5. ff. de A. v. A. P.* ita ut quicquid filius peculiari nomine apprehenderit, id statim pater ejus possideat, licet ignoret filium in potestate sua esse *l. 4. ff. de A. v. A. P.* Per talem verò filium quem justo ductus errore, putat filium suum esse, qui non est, possessio non acquiritur *l. 50. ff. de A. v. A. P.* In harum verò classem quæ nullo jure sunt nobis subjectæ referuntur liberæ personæ, per quas possessio

sessio etiam acquiri potest *l. 2. ff. de A. v. A. P. l. 20. §. 2. ff. de A. R. D.* quales personæ sunt procuratores, tutores & curatores *l. 1. §. 20. ff. de A. v. A. P.* quorum opera nobis etiam ignorantibus acquiritur *l. 42. §. 1. l. 49. §. fin. ff. de A. v. A. P. l. 41. §. 47. ff. de Usucap. l. 13. ff. de A. R. D. l. 2. l. 9. l. 34. ff. de A. v. A. P.* Et quamvis subtilitate juris per liberam personam nobis nulla obligatio acquiri possit *l. 126. §. 2. ff. de V. O.* Utilitatis tamen causa receptum est, ut per procuratorem possessio acquiratur *l. 8. C. de A. & R. P.* si eâ mente sit, ut operam suam nobis accommodare velit *l. 1. §. 20. ff. de A. v. A. P.* Ut verò hic acquirere possit, videtur requiri mandatum speciale *l. 42. §. 1. ff. de A. v. A. P.* Ubi procurator protinus acquirere dicitur, si domino mandante emerit rem. Qui verò in genere mandat, non videtur mandatum dedisse de emendo vel vendendo per *l. 63. ff. de procur.* Quod ulterius ex clausula illa liquet, quam Ulpianus *d. l. 42.* adjungit dicens; quod si sua sponte emerit non acquiri possessionem domino, nisi ratam habuerit emptionem. Neque quicquam facit *l. 1. §. 20. ff. de A. v. A. P.* pro procuratore generali, quem *Duarenus* ibidem, intelligi existimat *p. 628.* Nam procuratores tutori & curatori, qui pupillis & minoribus ex generali mandato, possessionem acquirunt, sub eadem qualitate in *d. §.* non comparantur; ratio enim disparitatis inde elucet, quoniam tutores & curatores à lege vel magistratu plenam & liberam administrationem extra casus exceptos habent, ita ut jus dominio proximum habeant: hinc tutores domini loco habentur *l. 27. ff. de administ. tutor. l. 56. ff. de furt.* Quod apud procuratorem secus est. Vid. *Bachov. Vol. 2. d. Disp. p. m. 302. & seq.* Ubi etiam responderet ad *l. 41. ff. de Usucap.* quæ pro procuratore generali adduci solet, dicens necessariam consequentiam non esse, ut quod sequitur de possessione, acquirenda, de eodem genere procuratoris accipiat. De procuratoribus hic etiam quæri solet? an nim. res nomine domini sibi traditas; nomine verò suo accipientes, possint efficere quo minus domino possessio acquiratur. Quod negatur; nam si quis procuratori meo rem tradiderit hoc animo, ut mihi acquirat, ille quasi sibi acquisiturus acceperit, nihil aget in sua persona, sed mihi acquirat *l. 37. §. fin. ff. de A. R. D. l. 13. ff. de donat.* Nam a  
ctus

Etus ille naturalis per quem possessio apprehenditur, non radicatur in persona procuratoris, qui tantum operam suam nobis, accommodare dicitur *l. 1. §. 20. A. de A. v. A. P.* imò alienæ possessioni saltem ministerium præstat *l. 18. ff. eod. l. 15. ff. de Const. pec. l. 17. §. 12. ff. de hered. petit.* Vid. *Bachov. in d. Disput. p. m. 300. & seq.* Ubi legibus obstantibus satisfacere videtur, quamvis *p. 302.* iudicium suum suspendat tenens *τὸ ἐπὶ πρῶτον*

XIX. Ex hæcenus dictis patescit quinam possidere nequeant? nempe 1. Furiosus & dormiens; quia intellectum possidendi non habent *l. 1. §. 3. v. 10. ff. de A. v. A. P.* Furiosus tamen possessionem ante furorem jam acquisitam retinet *l. 27. ff. de A. v. A. P.* eamque usucapere potest *l. 4. §. 3. ff. de Usucap.* 2. Is qui alieno nomine possidet *l. 18. ff. de A. v. A. P. l. 10. §. fin. ff. de A. R. D.* 3. Qui in aliena potestate sunt *l. 49. §. 1. ff. de A. v. A. P.* 4. Qui rogavit ut precario in fundo moretur *l. 6. §. 2. ff. precar.* 5. Cui possessio sub certa conditione tradita, quæ non aliter accipiens fit, quàm conditio extiterit *l. 38. §. 1. ff. de A. v. A. P.* Econtra verò possidere possunt 1. quibus animus possidendi inest, ut ex *d. l. 1. §. 3. & seq. ff. de A. v. A. P.* patet. 2. Qui auctore iudice possident *l. 11. ff. eod. l. 137. ff. de R. J.* 3. Qui luxuriosè & profusè vixit stipulando sibi acquirit *l. 6. ff. de V. O.* 4. Sequester, cui partes possessione cesserunt, possidet in utilitatem victoris *l. 39. ff. de A. v. A. P.* quoties enim inter partes litigantes contentio de possessione ferveret, toties sequestratio fiat necesse est *l. 17. §. 1. ff. de depos.* quam *Nicol. de passerib. à Genoa in Conciliat. leg. p. 307.* cum *d. l. 39.* ita conciliat dicens ultima verba *l. 17. ff. de depos.* referenda esse ad possessionem quæ proximè præcedit; non verò ad rem depositam quæ longius abest, ita ut sensus sit, possessionem apud deponentem manere, nisi apud Sequestrem ipsa possessio deposita sit, quod tunc dicit fieri ex mente Juliani in *d. l. 39.* cum partes expressè dicunt, se possessionem apud sequestrè deponere; quomodo dictas leges sibi invicem adversari negat. Vid. etiam *Bachov. in d. Disput. thes. 4. lit. F. p. m. 309. & seq.* Ubi prolixè disquirunt de genuino sensu dictarum legum. De huiusmodi possessione agitur etiam in jur. Svec. *C. 30. S. 3. Jordab. 11. Tå skal the deela i kvarstadsu ståndu och skyld af the jord i taka händer fattia/ther til åganden/åther komber.* Conf. *C. ult. Köp 11. §. 5.* Pro possessore possidet

E

fidet

fidet prædo l. 11. §. 1. ff. de hered. pet. Dicitur autem is pro-  
fessore possidere, qui nullo jure possidet §. 3. Inst. de Interd. 6.  
Infans etiam rectè possidere dicitur, si tutore auctore cœpit; ju-  
diciū enim ejus suppletur auctoritate tutoris l. 32. §. 2. A. v. A.  
P. Non obstat l. 3. C. de A. & R. P. Nam valde frequens est  
ut per species generi derogetur l. 80. ff. de R. J. Excipitur igitur  
iste casus à generali illa lege §. 2. ff. de A. v. A. P. Decius enim  
loquitur in d. l. 3. C. de Speciali casu, utpote de re donata, non de  
vendita vel alio titulo in infantem translata. Ex donationis verò  
causa res simpliciter & purè traditur, in tradente enim est plenus  
animus dimittendi possessionem, ut eò citiùs possessio in alium,  
in quo qualiscunque saltem animus est, transire possit arg. l. 18.  
§. 1. ff. de A. v. A. P. qualem affectum infanti inesse innuit, d. l. 3.  
C. ubi dicitur non plenus adesse affectus, unde aliquis tamen esse  
colligitur. Ideò verba illa in l. 32. §. 2. ff. de A. v. A. P. scilicet  
nullum esse sensum infantis Bachov. in d. Disp. p. m. 268, non sim-  
pliciter, sed secundum quid, & comparatè ad pupillum alium ac-  
cipienda monet. Unde Duarenus ad l. 1. tit. de A. v. A. P. dicit  
verisimile esse, quod infans habeat animum tenendi rem sibi tra-  
ditam, sicut sæpenumero videmus, pueros affectu duci in res sibi  
dono datas, dum avidè satis accipiunt quod sibi donatur. Ab  
hac sententia non abhorret Pacius évauuo Pavov Centur. 6. quæst.  
94. Ubi dicit in reb. donatis specialiter & benignè receptum esse,  
ut earum possessionem infans acquirat, ne donatio careat ef-  
fectu, quæ ante Justiniani constitutionem l. 35. C. de donat. abs-  
que stipulatione si facta esset, traditionem requirebat. Pupil-  
lus verò non solum tutore auctore possessionem acquirit l. 1. §. 11.  
ff. de A. v. A. P. sed etiam sine ejus auctoritate eandem nancisci  
potest l. 32. §. pupillus ff. eod. si ejus ætatis sit, ut intellectum capi-  
at l. 1. §. 3. in fin. ff. eod. Aliàs de illis, qui possidere possint vid. Col-  
leg. Argentonar. lib. 41. tit. 2. th. 7. & 8.

XX. Objectum verò possessionis istius, quæ à personis  
modè indiguitatis apprehendi potest, sunt res corporales l. 3. pr. ff.  
de A. v. A. P. [incorporales enim propriè loquendo non possi-  
dentur l. 4. §. 27. ff. de Usucap. l. 43. §. 1. ff. de A. R. D. l. 10. ff. Si Ser-  
vit. vind. quia tangi nequeunt §. 2. Inst. de reb. Corpor. Usus ta-  
men earum pro possessione habetur l. fin. ff. de Servit. l. 32. §. 1. ff.  
de S.

de S. P. U. l. 3. §. 2. ff. de act. empt. l. 3. ff. de Usufr. ] Illæque tam  
 mobiles l. 3. §. 13. ff. de A. v. A. P. l. 30. §. 4. & l. 47. ff. eod. quæ  
 Svecis dicuntur rörlskit gøt C. 19. §. 2. & c. 20. §. fin. Kongb. S. 1.  
 aliàs ödsöra c. 27. Tingb. 11. & passim. quàm immobiles l. 7. ff.  
 de A. v. A. P. & l. 18. §. 3. l. 25. §. 2. in fin. & l. 30. ff. eod. quæ Sve-  
 cis liggiande grund dicuntur C. 2. §. 2. Kongb. S. 1. Præterea res  
 illæ sunt in commercio hominum necesse est; nam quæ sunt ex-  
 tra commercium propriè possideri nequeunt; ut liber homo l.  
 23. §. 2. ff. de A. v. A. P. & res sacræ, quæ sacro usui sunt consecra-  
 tæ §. 7. Inst. de R. D. l. 30. §. 1. ff. de A. v. A. P. quarum mentio in  
 jure Suecano C. 14. Ryrckb. nec non publicæ & universitatis §. 6.  
 Inst. de R. D. l. 6. §. 1. ff. de D. R. l. 83. §. 5. ff. de V. O. l. 6. ff. de con-  
 trab. empt. ut sunt; forum, theatrum, basilica l. 1. §. fin. ff. de A. v.  
 A. P. quales Svecis dicuntur Landz eller häradz allmæningia C. 31.  
 V. B. 11. almeningz torgh S. 1. Porro requiritur, ut sint cer-  
 tæ l. 3. §. 2. ff. de A. v. A. P. Incertū enim est, quod nescitur quid, quale  
 quantumq; sit aut fuit l. 74. §. 1. ff. de V. O. l. 75. pr. ff. eod. Certa autem  
 res cujus quantitas & locus exprimi potest l. 26. & 43. ff. de A. v. A. P.  
 Rei possidendæ quantitas exprimitur etiam in Jure Succ. C. 15. §.  
 7. Kong. S. 1. Eller åge thet Konungen och Stadhen / halffe  
 hwar thera. Et passim alibi, utpote C. 9. §. 5. in fin. Giffimb. S. 1.  
 & c. 12. 13. & 14. ejusd. tit. c. 7. & 14. Erfdab. S. 1. Hinc res præ-  
 cisè incerta & ratione loci & quotæ, dimidiæ, tertiæ &c. posside-  
 ri à nemine potest l. 32. §. 2. ff. de Usucap. Denique ultima quali-  
 tas rei possidendæ est vacuitas ab aliis possessoribus l. 12. C. de  
 probat. l. 13. C. de distra. pignor. qua de re supra paulò fufius ac-  
 ctum. Cujusmodi res vacuæ sunt cum primis bona vacantia re-  
 licta ab illis, qui è vivis intestati excesserunt, quæ proinde ad fi-  
 scum transeunt l. 4. C. de bon. vacant. Talia bona Svecis dicun-  
 tur dana arff/ quæ similiter ad fiscum transferuntur, nisi legiti-  
 mus heres intra annum & noctem comparuerit C. 18. Erfdab.  
 S. 1. c. 23. 11. eod. Deinde prædia vel loca deserta l. 1. & tot. tit.  
 C. de omni agr. desert. l. 11. v. 58. quæ Sueci appellant ödesby.

XXI. Declarato objecto succedit modus apprehendendi  
 possessionem, qui modus sustinetur non solum corporis; sed et-  
 iam animi adminiculo, ita ut ad acquisitionem ejus affectio rem

E 2 habendi

habendi cum corpore concurrat, secund. l. 3. §. 1. 3. 6. ff. de A. v. A. P. Hinc Paulus non veretur dicere: nullam possessionem acquiri posse, nisi animo & corpore. Quod denuo repetit l. 153. ff. de R. I. Non solum animo nostro; sed etiam alieno. Ita acquirunt ignorantes, furiosi & pupilli, qui animum possidendi habere non intelliguntur l. 1. §. 3. ff. de A. v. A. P. l. 32. §. 2. ff. eod. Si milititer alieno corpore acquiritur; ut *res. 18.* dictum. Ut autem nudo corpore non acquiritur; ita nec solo animo l. 4. C. de A. & R. P. §. 5. *Instit. de Interd.* Coniunctim igitur ad acquisitionem possessionis animus & corpus concurrant necesse est. Acquirere verò corpore & animo ita intelligendum monet Paulus d. l. 3. §. 1. ff. de A. v. A. P. ut necesse non sit omnes glebas circumambulare, sed sufficere ait, si quis quamlibet partem eius fundi introierit, dum mente & cogitatione hac sit, ut fundum usque ad terminum velit possidere. Quod non solum de illis partibus fundi, quæ erant tempore apprehensionis; sed etiam de aliis partibus, quæ postea per alluvionem accreverunt, intelligendum l. 24. §. 2. ff. de legat. 1. l. 16. ff. de legat. 3. l. 16. ff. de pignor. Cui assertioni Celsus adversari videtur l. 18. §. fin. ff. de A. v. A. P. asserens, exercitum eam tantummodo partem, quam intraverit obtinere. Proinde *Duarenus p. 634.* dicit, dictum Paulinum accipiendum esse, cum exceptione, quæ talis est: nisi reliqua pars fundi possideri nequeat, veluti, quia ab alio occupata est; ut fit in d. l. 18. §. fin. Quo impedimento remoto, qui vis fundum ingrediens eam mente, ut totum possideat, is secund. d. §. possessionem acquisivisse dicitur; si se. fuerit vacua & per alium non occupata. Et quamvis actus aliquis corporis intervenire debeat, non tamen semper necesse est rem contingere corporali apprehensione, sufficit enim fractus adscititius, (ut loquitur *Hillig. lib. 5. c. 9.*) interveniat, qui vel Proprior naturali, vim apprehensivam habens, & naturam ipsam tantundem præstans; qualis est omnis is, quo res potestati & custodiæ nostræ subijcitur. Ita 1. Emptor rei venditæ vel emptæ possessionem acquirit appositione custodis, veluti si acervum lignorum emerit, quem venditor eum tollere iussit, simul atque eisdem posuit, acervus ipsi traditus videtur l. 51. ff. de A. v. A. P. 2. Per depositionem, quæ fit, si aliquem iusserit domi suæ depone-

re,

re, quod sibi traditum volebat, tum certum est, illum possidere, licet nemo id attigerit *l. 18. §. 2. ff. de A. v. A. P. Conf. l. 39. l. 79. ff. de Solut.* quo casu duo notanda veniunt 1. Ut res sit præsens 2. Ut partium seu contrahentium consensus intercedat, juxta *l. 1. §. 21. ff. de A. v. A. P.* 3. Per apprehensionem signi pro re signata. Ita mercium in horreis reconditarum possessio traditur, si claves apud horrea traditæ sint *l. 74. de contrab. empt. l. 9. §. 6. ff. de A. R. D.* 4. Per signationem rei possessio acquiritur, unde trabes traditæ videntur, quas emptor signavit *l. 14. §. 1. in fin. ff. de pericul. & comm. rei vend.* Hinc in jur. Svec. c. 43. B. B. 1. 1. dicitur: *lägger man mårle å anners mans ting/bödt eller qwick / och vill sigh svå annars mans ting tilseña.* 5. Per adoptionem, quo in casu possessio bonorum adoptati transfertur in adoptantem *l. 16. ff. de precar.* 6. Per retentionem Ususfructus rei, quam quis plene, animo domini possidet, transfertur possessio in alium, ipsa proprietate donatâ vel venditâ *l. 28. C. de donat.* In omnibus istis casibus acquiritur possessio visu & affectu, juxta *l. 1. §. 21. ff. b. t.* qui interpretatione juris corporali apprehensioni æquivalet. 7. Per constitutum, cum videlicet possessor alicujus rei hunc sibi proponit scopum, ut alieno nomine se possidere constituat, per ejusmodi animi destinationem possessio transit in alium *l. 17. §. 1. ff. de A. v. A. P.* Is enim possidet, cujus nomine possidetur *l. 18. ff. eod.* Et quamvis actus apprehendendi rem corporaliter, à parte ejus, in quem possessio transfertur, non interveniat; tamen jus fingit, actum corporalem constituentis se possidere nomine alterius, esse actum corporalem ejusdem, in quem talis possessio transfunditur. Vid. *Schneid. §. 5. Inst. de Interd. v. 110.* Per cujusmodi fictiones efficitur, non ut sit verè quod fingitur; sed ut iidem sint juris effectus, qui futuri si verè esset. Unde vulgò dicitur, fictio tantundem operari, quantum veritas. Ita per fictionem juris illi, qui pro Repub. ceciderunt, in perpetuum vivere intelliguntur *§. 1. Instit. de excus. tutor.* item reversus ab hostibus semper in civitate fuisse fingitur *§. 5. Instit. quib. mod. jus pat. pot. sol.* nec non in utero existens, jam natus esse existimatur *l. 7. ff. de stat. hom.* ut & defunctus apud hostes ante captivitatem occubuisse *l. 12. ff. qui testam. fac. poss. §. fin. Instit. quib. non est perm. fac.*

est. censetur. Hinc ait Imperator §. 44. *Inst. de R. D.* nudam voluntatem domini interdum sufficere ad rem tradendam. Quod Gajus etiam inculcat *l. 9. §. 5. ff. de A. R. D.* vel remotior, quando rei alicujus apprehensio vice hujus fungitur. Idque in una re receptum esse ait *Hillig. in d. l. lit. E.* quando scilicet instrumenta donationis vel emptionis eo animo traduntur, ut pro rei traditione cedant *l. 1. C. de donat.* Jus enim fingit ipsam rem apprehensam esse voluntate tradentis cum animo acquirentis concurrente, unde adversus donatorem actio in rem quoque conceditur *d. l. 1. C. de donat.* Similiter dubium occurrit circa animum, quem quidam ad acquisitionem possessionis civilis non requiri statuunt, moti hac ratione; quia ingressus fundum absentis, adificatur naturalem ejus possessionem, remanente civili penes proprietarium absentem, qui domum revertens & vim majorem metuens suspicatur se non admitti, sed potius repelli, amittit possessionem civilem cum naturali *l. 6. ff. de A. v. A. P. Conf. l. 25. §. 2. ff. eod.* quæ ita amissa unitur cum naturali antea acquisita, ita ut hæc trahat ad se illam vacantem, etiam possessore ignorante; quomodo ille, qui possessionem naturalem prius obtinebat, ignorans etiam & sine animo civilem acquirere videtur. Verum ad istud dubium respondent Dd. teste *Schneid. d. §. n. 97.* quod ingrediens in initio animi sui destinatione possessionem plene acquirere intendebat. Sed cum civilis tunc temporis non fuerit vacua; ideo naturalis tantum illi obtigit, & cum non constet animum esse mutatum, videtur adhuc esse in eodem proposito acquirendi civilem possessionem, præsertim cum probatio mutatae voluntatis ei debeat incumbere, qui convenitur *l. 3. ff. de probat.* Animus verò ille in jure multifariam exprimitur: dicitur enim affectus *l. 3. §. 3. ff. de A. v. A. P.* intellectus & affectio *l. 1. §. 3. ff. eod. meas & cogitatio l. 3. §. 1. ff. eod.* propositum *l. 46. ff. eod. & opinio l. 22. §. 1. ff. de noxal. act.* Cujusmodi animus debet esse constans, non errans *l. 34. §. 1. ff. de A. v. A. P.* nec titubans *l. 11. C. de Condit. indeb.* neque perterritus *l. 3. §. 8. ff. de A. v. A. P.* sed judicio & intellectu suffultus *l. 32. §. 2. ff. eod. & l. 1. §. 11. ff. eod.* rem certam respiciens *l. 34. ff. eod.* & cum destinatione rem sibi habendi conjunctus *l. 67. ff. de furr.* proveniens vel à b. f. vel mala *l. 32.*



*l. 3. §. 22. ff. de A. v. A. P. Bona fide possidetur, quod habetur ille-*  
*sa rei alienæ conscientia l. 109. ff. de V. S. l. 27. ff. de Cont. m. empr.*  
*l. 32. §. 1. ff. de Usucap. l. 3. ff. ad L. Fab. de plag. l. 13. §. 2. ff. de pub.*  
*in rem act. Mala verò fide quod cum læta rei alienæ scientia tene-*  
*tur l. 7. §. 5. ff. pro empt. l. 20. §. 11. ff. de hered. petit. §. 4. vers. de*  
*inde Instit. per quas pers. cuiq. acquir. l. 12. ff. de Usucap. l. 33. §. 1. ff.*  
*eod. l. 2. C. de hered. petit. Caret igitur b. f. 1. qui rem alienam*  
*scienter emit l. 2. §. 1. ff. pro empt. 2. qui alienam possessio-*  
*nem vi invadit l. 5. ff. de A. v. A. P. nesciens ullam cau-*  
*sam possessionis prætere, ut fur & raptor l. 13. ff. de hered. pe-*  
*tit. l. 16. §. 4. in fin. ff. eod. In dubio autem quis b. f. possidere præ-*  
*sumitur l. 18. §. 1. l. 21. ff. de probat. l. pen. C. de evictioib.*

XXII. Cum bonæ fidei mentio hic facta sit; ideò de b. f. possessoris attributo quoque non immeritò nunc agendum, quod ipsi quatenus talis competit concernens fructuum perceptionem, quos prætextu b. f. ex præsumptione probabilis opinionis dominii, quæ ipsi tantundem præstat, quantum veritas, quamdiu verus dominus ignoratur *l. 136. ff. de R. I. acquir. eorumque dominus perceptione efficitur §. 36. Inst. de R. D. non secus ac dominus ex veritate solius dominii jure, percipiendo acquirat quicquid ex re sua provenit juxta l. 49. §. 1. ff. de R. V.* [jus tamen domini supervenientis tanquam fortius b. f. extinguit, & effectum ejus suspendit. Hinc non solum fructus extantes; sed etiam universos post litis contestationem restituere tenetur *l. 22. C. de R. V.*] Perceptio verò illa non tantum in fructibus naturalibus, sed etiam in industrialibus cernitur. Quod patet cum primis ex *l. 48. ff. de A. R. D.* Ubi dicitur b. f. possessori non tantum industrialia i. e. qui operâ & diligentia ejus producuntur; sed etiam illi, qui culturam ejus excedunt spontè sua provenientes; quales sunt naturales attribuuntur. Quod innuit vox omnes, quam Paulus industrialibus opponit, quæ vox ad aliorum industrialiam non potest restringi, quasi Paulus indigiteret voculâ illâ illos fructus, qui alterius alicujus opera proveniunt. Dicit enim ille b. f. possessorem penè loco domini esse, quoad fructus attinet. Dominus verò naturales fructus suos facit *§. 31. Inst. de R. D. & §. 19. Inst. eod. l. 6. ff. de A. R. D.* Ergo etiam b. f. possessore *§. 35. Inst. de R. D.* Si verò b. f. possessori naturales fructus

non

non possent cedere id eo, quoniam in illis producendis nulla ejus opera intervenit, cur quæso illi attribuantur à quibusdam, fructus aliorum opera producti? nam nec illi ejus diligentia prædeunt. Præterea evincitur idem ex *l. 25. ff. de Usur.* Ubi omnis fructus dicitur percipi non jure seminis, sed jure soli, imo in *S. 1. d. l. 25. b. f.* possessori plus juris in percipiendis fructibus tribuitur quam fructuario, quippe cujus non fiunt antequam ab eo percipiantur, b. f. verò possessori cedunt, quoquo modo à solo separati fuerint *l. 13. ff. quibus mod. Usufr. amitt. l. 78. ff. de R. V.* Non obstat *l. 45. ff. de Usur.* Unde quidam concludunt b. f. possessorem non fructus naturales; sed saltem industriales sibi acquirere. Nam ejus legis sensus non est hic, quasi nullus b. f. possessor fructus naturales suos faciat. Id enim modò allegatis legibus adversaretur; sed ejus sensus est hic, quod non quilibet b. f. possessor tales fructus suos faciat, veluti si sit talis qualis in d. l. describitur, quippe qui titulo valido caret, ob donationem illam quæ regulariter inter conjuges est prohibita, ne vel matrimonia essent venalitia *l. 2. ff. de donat. inter vir & uxor.* vel donator in paupertatem incideret, donatarius verò ditior evaderet *l. 3. in fin. ff. de donat. int. vir. & uxor.* Unde apparet donatarium fructus sibi acquirere industriales; quia ratio prohibitionis in eo casu cessat. Donans enim non redditur pauperior, quia citra operam donatarii ejusmodi fructus non esset lucraturus: nec hic ditior, quia ex labore suo eos percipit. Hinc non immeritò Ulpianus fructus quoque ut usuras licitam habere donationem scribit *l. 17. ff. de donat. int. vir. & uxor.* Conf. *l. 40. in fin. ff. de A. R. D.* Huc non incommodè quadrare videntur ea quæ in *J. Svec. C. 14. Jordab. §. 1.* habentur: Hvar som Røpiv Jord / eller med stipte för af androm före afrad; daga eller / medh wedh setning / rå hafwihan afradhy som Jord rå åger. Idem asseritur *C. 19. §. 1. §. 2. e. jusd. & c. 5. §. Röp. §. 2.* Rå skall han affödo hafwa / som Wp hafwiver födt etc. Aliàs de hæc difficili controversia videri possunt: *Clariss. Titus Helmstad. Dn. Habn in observ. ad Wesemb. tit. de R. V. n. 7. Zæs. ad Dig. tit. de A. R. D. num. 65. & seqq. Hillig. lib. 4. c. 25. Harpp. tom. 2. §. 25. Inst. de R. D.*

XXIII. Hinc non minus alia controversia & maximè intricata

tricata quæstio exurgit; numquid b. f. possessor fructus percipere dominus superveniens & rem evincens restituere teneatur. Quam Iulii magni nominis negant, nec minoris autoritatis affirmant. Utrobique non levis armatura; argumenta prostant. Nos tamen in affirmantium castra secedimus suffulti cum primis hoc argumento: Si in condemnatione ejus qui b. f. possessor fuit, non habetur ratio fructuum consumptorum neque percipiendorum, sequitur quod perceptorum; Sed verum p. E. & p. Consequenter probatur; quia tot sunt genera fructuum, & aliis nullos fructus restitueret. Minor verò fundatur in S. 2. *Instit. de offic. jud.* quod argumentum paulò fufius deductum apud *Magnif. Dn. Franck. Exercit. 4. quæst. 8.* reperitur. Præterea non incommode idem probari potest ex *l. 48. ff. de A. R. D.* Ubi b. f. possessor fructus suos facere dicitur interim i. e. explicante Gothof. usque dum b. f. possidet sc. ante evictionem & litis contestationem. Hinc in *d. l. 48. dicitur* b. f. possessor penè loco domini esse, quæ vocula penè haud obscure arguit b. f. possessorem non in omnib. loco domini haberi, & per consequens instar domini irrevocabiliter fructus in suum dominium redigere non posse. Unde b. f. emptor dicitur fructus percipere quamdiu fundus non fuerit evictus *l. 25. §. 1. ff. de Usur.* Si enim status ejus mutatus fuerit, ita, ut b. f. amplius non duret, quod fit cum dominus rem evicerit, & possessorem dominum non fuisse probaverit, tum fructus suos non fecisse censetur. Cessante enim causa cessat effectus, unde Gajus *l. 139. ff. de R. J.* ait: non videri perfecte cujusque id esse, quod ex causa auferri potest. Succedit itaque regula juris, quod ex re mea vel natum est *l. 2. l. 6. ff. de A. R. D.* vel superest meum est *l. 49. §. 1. ff. de R. V.* Spectant igitur fructus ad b. f. possessorem, dum res non evincitur, quam explicationem firmant insuper *l. 2. §. 1. & l. 6. ff. de in diem addit.* Non obstat, quod possessor transferendo istos fructus, per alienationem faciat eos irrevocabiliter transire in emptorem. Nam fructus percepti non tam a actione reali quam personali condicuntur, tanquam sine causa apud possessorem existentes. Personalis autem actio non datur in tertium. Vid. *Zaf. tit. de A. R. D. n. 71. & seq.* Ubi eruditè hanc controversiam decidit. Neque sublato illo jure quod in solo habebat, sola

F

ratio

ratio culturae vel cura, prout in §. 35. *Instit. de R. D.* dicitur, tam valida est, ut bona fidei possessori ad retinendos fructus patrocinari possit; nisi quatenus in culturam impensum est, eatenus quidem saltem prodest, ut opposita doli mali exceptione sumptus impensos dominus refundat, aut si nolit, patiatur sumptus cum fructibus pro rata pensari, proque illis partem fructuum possessorem retinere l. 46. ff. de Usur. l. 48. ff. de R. V. & argum. l. 36. §. fin. ff. de hered. petit. Quocirca Celebris ille Ictus Vinnius in locupletissimo *Comment. Instit. p. 272.* duplicem dominii acquisitionem statuit: unam perpetuam & citra voluntatem aut factum domini irrevocabilem; alteram temporalem & revocabilem ex causa superveniente, quae dominii causam tollat, quale jus est mariti in re dotali, quod soluto matrimonio ab eo recedit; & heredis fiduciarii, quod cedente die fideicommissi in fidei commissarium transit; item heredis in re sub conditione legata l. 66. ff. de R. V. l. 29. §. 1. ff. qui & à quib. manumiss. & tale quoque in proposito jus est b. f. possessoris in perceptis nec dum consumptis fructibus usque ad evictionem. Hæc ille. Consumptos igitur demum irrevocabiliter b. f. possessor lucrari potest l. 4. §. 2. ff. fin. reg. l. 4. §. 19. ff. de Usucap. l. 41. ff. de re judicat. l. 40. in fin. de A. R. D. proinde de fructibus ab eo consumptis, dominus superveniens & fundum vindicans agere non potest §. 35. *Instit. de R. D.* Quod autem fructuum consumptorum æstimationem præstare non teneatur, svadet ipsa æquitas, cum eo tempore percepti sint, quo jus b. f. p. adhuc in integro erat. Eò quoque oculum intendit *Bachov. Vol. 1. Diss. 15. tb. 11. lit. E. & F. p. m. 611.* asserens alicujus fieri aliquid absolute & perfectè citra ullum merum avocationis; aut non omninò perfectè, sed revocabiliter. Posteriori sensu sola etiam perceptione dicit fructus fieri b. f. possessoris l. 4. §. 19. ff. de Usucap. l. 28. ff. de Usur. Priori sensu dicit b. f. possessoris fieri consumptione, quod Ictus dicitur lucrari l. 4. §. 2. ff. de fin. reg. Sed obstare videtur l. 28. ff. de Usur. Ubi b. f. possessoris ea quæ in fructu sunt statim pleno jure fieri dicuntur, quod autem pleno jure statim sit, id non potest dici consumptione demum fieri irrevocabiliter. Ad hoc dubium respondetur 1. eum qui b. f. possessorum dicit dominum fructuum perceptorum statim pleno jure

jure fieri; non negare continuo jus illud ex alia tamen causa esse revocabile. Ita dicitur in *l. 29. §. 1. ff. qui & a quib. manum.* servus sub conditione legatus pendente conditione pleno jure heredis esse, quem tamen constat deficiente demum conditione fieri heredis irrevocabiliter *Vinn. p. 273.* 2. loquitur Ictus oppositive v. c. ad partum, qui cum in fructu non sit *l. 48. §. 6. ff. de furt. l. 27. ff. de hered. pet. non nisi per usucapionem acquiritur d. l. 48. §. 5. ff. de furt.* quod secus est in fructibus qui sola perceptione acquiruntur *l. 4. §. 19. ff. de Usucap.* eandem rationem præcipue urget Ictus in *d. l. 48. §. 6.* dicens ex furtivis equis natos statim ad b. f. Possessorem pertinere; quia in fructu numerantur. Et postquam ita receptum est, ut perceptio modus sit acquirendi fructus, & gradus domini nulli sint, sed cujuscunque rei dominus sum, ejus plenus dominus intelligor, inde fructus etiam statim pleno jure b. f. possessoris effici dicuntur in *d. l. 28. ff. de Usur.* interprete *Bachovio Vol. 1. p. m. 610.* Nec absurdum est perceptione fructus acquiri, & tamen restitui, cum aliud sit acquirere, aliud lucrari *arg. l. 30. ff. de mort. caus. donat. §. 1. Inst. de donat.*

XXIV. Et quamvis b. f. possessor ex ejusmodi fructibus consumptis locupletior factus sit; attamen ad eorundem æstimationem præstandam non obligatur. Inconveniens enim est naturali ratione accipere §. 35. *Inst. de R. D. & invitum reddere,* cogi *l. 11. ff. de R. 7. l. fin. ff. de pact.* Deinde domino non suppetit ullum remedium vindicandi fructus tales, ex quibus possessor locupletatus est; non vindicatio; quia hæc non datur nisi adversus eum qui possidet, aut dolo malo possidere desiit *l. 36. ff. de R. V.* At fructus b. f. consumens non possidet, nec dolo malo possidere desiit. Nec condictio; quia hæc datur vel ex contractu, vel ex delicto §. 1. *Inst. de act.* consumens autem fructus bona fide nec contraxit, nec deliquit, imò conditio de fructibus consumptis est tantum contra malæ f. possessorem *l. 3. C. de condict. ex leg.* Neque officium judicis; nam illud sublatâ actione principali cessat *l. 8. §. 1. fin. ff. de eo quod cert. loc. pet.* Quod Hil- lig. prolixius ostendit *lib. 4. c. 25.* Secus autem habet se res in judicio univertali utpote in act. fam. heriscundæ & petitione hereditatis; tum enim b. f. possessor tenetur in id, in quo locuple-

rior factus est l. 25. §. 11. ff. de hered. petit. l. 1. §. 1. C. eod. partim ideò,  
quia Scto ita in universum constitutum est, ut qui ex iusta causa  
existimavit hereditatem ad se spectare, non debeat, nisi quatenus  
ex ea sit factus locupletior, restituere l. 20. §. prater her. vers. eos  
autem ff. de hered. petit. partim ideò, quia fructus augment hereditatem,  
& corpus seu pars ejusdem censetur l. 20. §. 3. vers. fructus  
l. 28. l. 40. §. 1. ff. d. hered. petit. l. 9. §. 17. C. famil. hercisc. Conf. l.  
55. ff. de hered. petit. Quocirca non valet eorum argumentum,  
quo quidam probare conantur, fructus consumptos ex quibus  
quis locupletior factus sit, non secus ac extantes restituendos esse,  
ex hac ratione; quoniam non videtur absumptum quod in  
corpus matrimonii versum est l. 23. ff. de adimèd. vel transf. legat. &  
in corpore patrimonii retinetur l. 72. ff. de legat. 2. Nam Ictus dif-  
fertè loquitur in dd. de hereditate restituenda: ut patet ex l. 70. §.  
fin. ff. de legat. 2. Et per consequens de iudicio universali. In iudi-  
ciis verò singularibus res aliter se habet, in quibus pretium loco  
rei non succedit l. 7. §. fin. ff. qui potior. in pignor. l. 48. §. fin. ff. de furt.  
quod fit in universalibus l. 25. §. 1. ff. de hered. petit. nec fructus rem  
augment, cum non rei, sed causæ appellatione contineantur l. 68. ff.  
de R. V. Si tamen consumptio facta fuerit dolo, tum pretium  
in rei vindicatione præstandum; quomodo §. 1. leg. 17. ff. de R. V.  
Magnif. Dn. Frantzk. Exercit. 4. quest. 9. n. 11. accipiendum mon-  
net. Sed dicat aliquis ex l. 40. §. 1. ff. de hered. petit. fructuum resti-  
tutionem nõ augmento, sed locupletationi acceptam ferendam;  
quæ ratio etiam in iudicio singulari militare videtur. Verum  
sciendum est, hoc ita olim ex æquitate post Sct. receptum esse;  
non verò de stricto iure, quod ante idem Sctum obtinuit, ubi tam  
b. f. possessori quàm prædoni indistinctè fructus fuerant aug-  
mentum. Hodie autem restitutionem causatur augmentatio,  
quæ in b. f. possessore non simpliciter; sed habitò respectu ad lo-  
cupletationem ob b. f. in prædone verò ob culpam in totum æsti-  
matur, quæ convenientia de stricto iure in iudicio singulari non  
procedit, us leges modò allegatæ edocent: proinde nec æquitas  
Scti eò usque pertingere potest. Porro objicitur l. 206. ff. de R. I.  
Ubi dicitur iure naturæ æquum esse; neminem cum alterius in-  
juriâ & detrimento debere locupletiores fieri, quæ ratio etiam  
in ju-

in iudiciis particularibus locum habere videtur. Sed minus re-  
tè; nam damnum dicitur is inferre, qui id facit, quod facere jus  
non habet *l. 151. ff. de R. J. b. f.* verò possessor jure naturali fructus  
perceptos pro cultura & industria suos facit §. 35. *Instit. de R. D.*  
Quapropter superveniens dominus de fructibus consumptis a-  
gere nequit adversus b. f. possessorem, licet fundum vindicet *d. §.*  
*35. Inst. de R. D.* Nam si b. f. possessor fuerit, tum nec consumpto-  
rum nec percipiendorum ratio habetur §. 2. *vers. si verò Instit. de*  
*offic. jud.* Qui igitur id facit, quod jure permittitur, injuriam fa-  
cere non censetur; juris enim executio non habet injuriam *l. 13. §.*  
*1. ff. de Injur.*

XXV. Ast malæ fidei possessor nihil planè acquirit, sed om-  
nes fructus tam perceptos, extantes & consumptos, quàm per-  
cipiendos, quos percipere potuit *l. 1. in fin. C. de fid. & jur. hast.*  
*fisc.* restituere tenetur *l. 33. ff. de R. V. l. 62. ff. eod. l. 5. l. 22. C. de R.*  
*V. §. 35. Inst. de R. D.* non obstat *l. 17. C. de R. V.* loquitur enim de  
alia facti specie, puta de fructibus perceptis, unde ad negationem  
percipiendorum argumentari non licet. Præstabit autem id ab  
eo temporis articulo, quo rescivit se mala fide possidere *l. 20. §. 11.*  
*ff. de hered. petit. l. 25. §. 5. ff. eod. l. 23. §. 1. ff. de A. R. D.* modò ac-  
tor eum alienæ rei scientiæ convicerit *l. 30. de evict.* & dolum  
admissum docuerit *l. 18. §. 1. ff. de prob.* aliàs enim benigna juris  
interpretatione b. f. possidere præsumitur, quamdiu fundus evi-  
ctus non fuerit *l. 25. §. 2. ff. de Usur.* Et quamvis superveniens co-  
gnitio rei alienæ malam fidem inducat, quæ animum possessoris  
ita afficit, ut bonâ conscientiâ possidere nequeat, præsertim si vel  
nullam vel injustam contradicendi causam habuerit, quo sensu  
*Dn. Frantzk. Exercit. 4. quest. 9.* Ulpianum in *l. 48. §. 1. ff. de A.*  
*R. D.* exaudiendum arbitratur; attamen propter contradicenti-  
onem possessoris, quoniam de eo ante sententiam latam vix certo  
constare potest, pro b. f. possessore habetur quoad percipiendos  
fructus, donec causâ cognitâ sententiâ contra eundem latâ, &  
fundus evictus fuerit; atque ita is ipse in mala fide esse declara-  
bitur. Hinc Julianus in *l. 25. §. 2. ff. de Usur.* non dicit talem  
esse, sed intelligi b. f. emptorem, & hoc modo prædictus *Dn.*  
*Frantzk.* in loco antea allegato *d. l. 25. §. 1. ff. de Usur. d. l. 48. §. 11*  
*ff. de*

de A. R. D. conciliat. Faber Disput. 14. ad Instit. jur. tb. 8. etiam  
haud aliter prædictos in concordiam reducere conatur, di-  
stinguens inter b. f. possessorem qui justam, & qui nullam vel in-  
justam contradicendi causam habet, de illo l. 25. §. 2. ff. de Usur. de  
hoc verò d. l. 48. §. 1. intelligendum statuit. Idque arg. l. 40. ff. de  
Usur. l. 5. ff. de reb. credit. l. 4. ff. pro suo.

XXVI. Denique circa res illas, quarum possessionem ap-  
prehendendo acquirere intendimus, notandum 1. quod alia  
sint nullius, quæ per occupationem capienti obveniunt §. 12.  
Inst. de R. D. l. 1. §. 1. ff. de A. v. A. P. l. 3. ff. de A. R. D. Ita etiam  
in jur. Suec. sancitum est c. 39. **BB. U.** Nu kan man Bij hitta i  
bolstadi sinom/ eller å stoge them han åger / wari hans som hitte.  
Aliæ verò in alterius potestate, quarum apprehensio fit, vel domi-  
no consentiente præcedente legitimâ traditione l. 20. C. de pact.  
In omnibus enim rebus quæ dominium transferunt, utriusque  
partis consensus requiritur l. 55. ff. de O. & A. Ita fit traditio de  
jur. etiam Suec. c. 13. **Öiffimb. U.** Thetta gaff tag tig och meera ey/  
och thet hafwer tu fångit. Vel eo refragante, puta ea quæ ex hosti-  
bus capimus, jure gentium statim nostra sunt §. 17. ff. de R. D. l. 5.  
§. 7. l. 51. §. 1. ff. de A. R. D. vel cum quis de possessione sua vi dejici-  
tur, l. 1. §. 3. l. 4. ff. de vi & vi arm. Haud dissimile exemplum oc-  
currit etiam in jure Suec. c. 19. **Eedz örisb. U.** Nu söfir man heem  
årh androm/ och söfir han medh wälde B gårde sinom & C. 19. **Jor-  
dab. U.** år och Jord någrom medh wälde wårct afhånd. 2. quod  
alia sint res corporales, alia incorporales. Corporalis res ac-  
quiritur vel ut tota vel ut pars. Priori modo tripliciter conside-  
ratur secund. l. 30. ff. de Usucap. 1. quatenus totum illud conti-  
netur uno spiritu, & dicitur unicum; ut homo, tignum, lapis &c.  
In hoc primo genere dicit Pomponius quæ stionem non esse, quin  
omnes partes cum suo toto possideantur; quoniã uno spiritu con-  
tinentur. 2. quatenus ex contingentibus i. e. plurib. inter se cohæ-  
rentib. constat, & dicitur Connexum; ut ædificium, navis & arma-  
rium, in quo toto singule res non possideantur, sed universæ l. 30. ff.  
de A. v. A. P. l. 23. ff. de Usucap. l. 30. §. 1. ff. eod. 3. quatenus ex distan-  
tibus constat, continens corpora plura non soluta; sed uni nomi-  
ni subjecta; veluti populus, legio, grex &c. Ubi non universi, sed  
singul-



singulorum possessio est, licet totius natura talis sit, ut adjectionibus acquiratur *d. l. 30. §. 2. ff. de Usucap.* Hinc Julianus §. 18. *Inst. de legat.* Grege legato etiam eas oves legato cedere, quæ post testamentum factum gregi adjiciuntur dicit. Nam etiam si grege legato, aliqua pecora vivo testatore mortua essent, & in eorum locum aliqua essent substituta, eundem tamen gregem videri Pomponius ait *l. 22. ff. de legat. 1. Conf. 70. ff. de judic.* Hic non immerito etiam queri potest; an apprehensio unius prædii vel servi præstet apprehensionem cæterorum? Quod Papinianus affirmat *l. 48. ff. de A. v. A. P.* Ubi dicit per servum, prædiorum cæterorumque; servorum quesitam possessionem constare. Idem asseritur in *l. 1. §. 16. ff. eod.* his verbis: Sed si verius est, ex his causis (sc. emptionis, donationis & legati) posse me per unum reliquorum acquirere possessionem. De quo §. *De.* prolixè aliàs disceptare solent. Proce- dit autem hæc assertio tunc potissimum, si prædia illa sint partes integrantes totius integralis, ut castrum quod complectitur, vel comprehendit sub se omnia pertinentia, utpotè villas & fundos in confinio sitos, & quicquid aliàs in toto isto territorio vel etiam extra ad castrum spectat; item domus in contignatione hor- tum vel etiam balneum habens, tum apprehensione cujuslibet partis ad castrum vel domum pertinentis, totius castri & domus possessio apprehensa intelligitur *l. 86. in fine ff. de legat. 2. l. 91. ff. de legat. 3. l. 20. §. 7. ff. de Instr. vel instr. legat.* Non obstat *l. 30. ff. de A. v. A. P.* Nam ista lex loquitur de rebus ex quibus domus ædificata est, ita ut possidens ædes non intelligatur possidere quamlibet particulam, vel res singulares ex quibus domus conficitur, sc. lapides & ligna in abstracto, sed in concreto. Possidens igitur unum totum integrale, non possidet singulares ejus partes; quoniam universitas ejus possidetur, non singulæ partes, inquit Paulus *l. 2. §. 6. ff. pro empt. Conf. l. 8. ff. quod vi aut clam. l. 7. §. 11. ff. de A. R. D. l. 23. ff. Usucap. Vid. Schneid. §. 5. Instit. de Interd. n. 104.* Posteriori modo res corporalis considerari potest bifariam vel pro divisa, in quam totum realiter dividitur *l. 19. in med. ff. Comm. divid. l. 36. ff. de S. P. U. l. 1. in fin. ff. si pars hered. petat. l. 10. §. 1. ff. de hered. petir.* vel pro indivisa in quam interpretatione juris saltem dividitur *l. 86. §. 1. ff. de legat. 2. l. 25. §. 1. ff. de V. S.*

Incor-

Incorporales verò res cùm tangi nequeant §. 2. *Inst. de reb. corp.* idèò usu & longa q. possessione acquiruntur *l. 10. quemadm. servit. amittant. l. 1. §. fin. ff. de aqua pluv. arc. l. 1. 2. C. de servit. l. 3. §. 3. ff. de itiner. act. priv.* qui usus nititur non tantùm jure nostro proprio; nam non videtur servitute uti, qui pro via publica, vel pro alterius servitute usus est *l. 25. ff. quemadm. servit. amittant.* Sed etiam patientiâ & scientiâ domini sive adversarii. Servitutum enim non est ea natura, ut aliquid faciat quis, sed ut aliquid patiat, aut non faciat. *l. 15. §. 1. ff. de servit. l. 11. §. 1. ff. de pub. in rem. act. l. 1. §. fin. ff. de S. P. R.* Ubi Gajus ostendit modum acquirendi Usufructum, qui etiam incorporalis §. 2. *Inst. de reb. Corp.* dicens dari usufructum, si dominus fundi induxerit. Usufructuarius in possessionem puta fundum, vel passus fuerit eundem uti frui. Usus enim ejus rei pro traditione habetur *l. 20. ff. de servit.* quoniam res incorporalis propriè tradi nequit *l. 43. §. 1. ff. de A. R. D.*

XXVII. Præterea proponitur modus acquirendi possessione in interdictis, quæ prætor ejus adipiscendæ causa introduxit, quorum (1.) est interdictum quorum bonorum, cujus vis & potestas hæc est; ut quod ex his bonis quisque quorum possessio alicui data est, pro herede aut possessore possideat: id ei cui bonorum possessio data est restituere debet §. 3. *Instit. de Interd.* Unde etiam restitutorium dicitur tam in §. 3. *Instit. de Interd.* quam in *l. 1. §. 1. ff. quor. bonor.* Ubi sciendum, quod heres petiturus res hereditarias, prius iudicibus super ea re cognituris, non tantum de fide intentionis suæ allegare i. e. probare se heredem esse *l. 1. C. quor. bon.* quod de Jur. S. etiam requiritur *c. 11. Erfdab. S. 2. witi skylskap sin sannan och eig of sannan medh sep Maanna Ede. Conf. c. 18. ejusd. tit. S. 2.* sed etiam bonorù possessionem se agnovisse, declarare tenetur *l. 2. C. quor. bonor.* Quod interdum *Gotbofr. in not. suis ad d. l. 1. ff.* dicit introductum esse, ut universitatem aliquo remedio corporaliter nanciscamur, si tamen evenerit unius tantum rei controversia cujus possessionem quis non dum adeptus sit, ad eum hoc interdictum etiam pertinere ait, suffultus *l. 29. ff. de furt.* Secundum hujus tenorem non solum illæ res quæ alicujus fuere, cum moreretur; sed etiam illæ, quas dolo definebant

bant possidere, qui pro possessore aut herede possident; restituenda sunt l. 2. C. quor. bonor. Huc spectare videtur ex Jur. Succ. c. 15. Giff. b. C. 2. Sed quomodo singulae res ad hoc interdictum referri possint, docet *Celeb. ille Illus. Dn. Hahn eruditè in Observ. ad Wesemb. d. tit. (2.)* quod legatorum continens hanc causam, ut quod quisque legatorum nomine non ex voluntate heredis occupavit, id ei restituat l. 1. §. 2. ff. quod legat. Nemo enim sibi ipsi jus dicere debet l. un. C. Ne quis in sua caus. & si non restituerint, in id quod interest debent condemnari l. 2. §. 2. ff. quod legat. Dicitur autem legatorum nomine possidere non solum is cui legatum; sed etiam heres ejus ceterique successores l. 1. §. 10. ff. eod. nec tantum contra talem possessorem; verum etiam contra eum qui dolo desit possidere i. e. facultatem habere restituendi l. 2. §. 7. ff. eod. item contra eum qui in possessionem missus est legatorum servandorum causa l. 1. §. 9. ff. eod. datur: non verò contra possidentem ex titulo donationis mortis causa l. 1. §. 5. ff. eod. nec contra talem legatarium, cui post aditam hereditatem vel bonorum possessionem agnitam, voluntas heredis accommodata ut possideret, tunc enim interdictum cessat l. 1. §. 11. ff. eod. ita tamen ut unus heredum suo coheredi præjudicare nequeat; si enim alter noluerit consentire, ut res à legatario possideatur, tùm palam est eidem hoc interdictum competere l. 1. §. 15. ff. eod. neque solum de rebus corporalibus, sed etiam de incorporalibus hoc interdictum procedit l. 1. §. 6. in fin. eod. Ex parte vero Actoris datur etiam heredis heredi l. 1. §. 3. ff. eod. quales sunt fideicommissarii universales l. 8. §. 1. ff. quib. mod. pig. vel hypothe. solv. De actore hic præterea notandum, quod debeat paratus esse ad satisfactionem idoneam præstandam legatario vel ejus heredi l. 1. §. 17. ff. quod legat. quam tamen non offeret nisi petatur l. 2. §. 1. ff. eod. alias enim legatarius mittitur in possessionem legatorum servandorum causa l. 1. §. 16. ff. eod. (3.) Interdictum Salvianum, quo utitur dominus fundi de rebus coloni, quas is pro mercedibus fundi pignori futuras pepigisset §. 3. Instit. de Interd. & tot. rit. ff. h. t. (4.) Promanat ex l. fin. C. de edict. divi Adrian. roll. (5.) denique deducitur ex l. 3. C. de pignor. De quibus videri possunt Jur. Civil. Commentat. cum primis tamen *Me-*

G

*nochius,*

*nochius, qui latissimè eorum doctrinam persequitur in Comment.  
ad tit. de A. v. A. P.*

XXVIII. Acquisitâ ita possessione; consequens est, ut possessor eam quoque retinere & conservare annitatur; non enim videtur possessionem adeptus qui ita nactus est, ut eam retinere nequeat *l. 22. ff. de A. v. A. P.* Consistit verò illa retentio in eo, ut non tantum corpore & animo simul; sed etiam solo animo retineatur; ut attestatur textus plurimi, puta *l. 3. §. 7. 10. 11. ff. de A. v. A. P. 6. §. 1. l. 25. §. 2. l. 30. §. 5. l. 44. §. fin. l. 46. ff. eod. §. 5. Instit. de Interd. l. 1. §. 25. ff. de vi & vi armat.* unde *Donellus* dicit possessionem non retineri solo animo, nisi eam quæ priùs habebatur, & sic illam ipsam corporalem possessionem in detentione positam: non quidem naturâ, sed juris interpretatione, quia quoties vult possessionem repetere potest *l. 3. §. 13. ff. de A. v. A. P.* imò sine affectu tenendi, modo absit animus delerendi, possessionem quis retinere potest *l. 27. ff. de A. v. A. P. l. 31. §. 4. ff. de Usucap.* Priori modo retinetur, cum quis fundo suo insitit corporaliter *l. 19. §. 1. ff. de A. v. A. P.* Posteriori verò cum quis actu ipso rei suæ non incumbit, facultatem tamè habet pro lubitu revertendi, juxta legis nuper allegatæ *3. §. 13. ff. de A. v. A. P. l. 4. C. de A. & R. P.* quod idè dicitur fieri, ne per singula horarum momenta rebus nostris insistere necesse habeamus *Wes. n. 6. tit. de A. v. A. P.* neve ut spongia saxi adhærescere cogamur *Conna. 3. comm. 10. n. 7.* Si verò aliquis existimaverit facultatem rem apprehendendi sibi amplius non superesse, utpote si suspicetur se posse à fortiori repelli, tum desinit animo possidere, & per consequens retinere *l. 25. §. 2. ff. de A. v. A. P.* Vel si noluerit in fundum reverti, tum itidem animo retineri nequit *l. 3. §. 6. l. 1. §. 4. l. 7. & l. 17. §. 1. ff. de A. v. A. P.* Unde *Bachov. Vol. 2. Diss. 12. p. m. 306.* modos retinendi possessionem tres statuit 1. Si res adhuc sit vacua 2. Si ab alio occupatam ingnozemus *l. 46. ff. de A. v. A. P.* 3. Si facultas rem apprehendendi adhuc integra sit *d. l. 3. §. 13. ff. eod.* quam facultatem possessor, etiam eo in casu, ubi alius possessionem ingressus, non vult eidem revertenti cedere, exercere potest, expellendo eum finibus suis *l. 18. §. 3. ff. de A. v. A. P.* modò id non fiat ex intervallo, sed in continenti *l. 3. §. 9. & l. 17. ff. de vi & vi armat.* quod tamen paulò

paulò laxiùs hìc accipitur, quàm in defensione corporis, veluti cum quis se præparat & amicos convocat. Id enim *Schneid. S. 6. Inst. de Interd. n. 26.* hodiè expressè statutum esse in des Reichs Landfrieden/ sub rubrica von Peen der Friedbrecher; ibique hæc verba circa finem haberi ait: Daß den Beschädigten gegen die Friedbrecher und Beschädiger sein Gegenwehr und Verfolgung zuthun auff frischer That / oder wann er seine Freunde zu Helfer haben mag/vnbenommen sein soll. Ita què retinere animo, tam latè extendi non potest, ut possessio retineatur, licet facultas rem corporaliter apprehendendi amplius non detur. Id enim non procedit extra casum servi fugitivi, qui sui ipsius possessionem nobis intervertere nequit *l. 13. & l. 15. ff. de A. v. A. P.* nisi ab aliis apprehensus *l. 1. §. 14. ff. de A. v. A. P.* tùm enim amplius à nobis non possidetur *d. S. 14. ff. eod.* Neque solum per nosmetipsos; sed etiam per alios puta colonos, inquilinos qui nostro nomine in possessione sunt, possessio retinetur *l. 3. §. 7. & l. 9. ff. de A. v. A. P. l. 40. in fin. ff. eod. §. 5. Inst. de Interd.* Et licet servus vel colonus discesserint, tamen animo retinetur possessio *l. 3. §. 8. ff. de A. v. A. P. l. 7. ff. pro empt. l. 12. C. de A. & R. P. l. 31. ff. de dolo mal. l. 31. ff. de A. v. A. P.* Idem fit, si vel moriantur, vel furere incipiant, vel aliis locent *l. 25. §. 1. l. 30. §. 6. ff. de A. v. A. P. l. 31. §. 3. ff. de Usucap.* Melior enim conditio nostra per servos fieri, deterior verò non potest *l. 133. ff. de R. I. l. 12. C. de A. & R. P.* Si verò dominus mortuo servo, possessionem adipisci neglexerit, tùm possessio interpellatur *l. 40. §. 1. ff. de A. v. A. P.* imò talis possessio quæ per servum aut colonum tenetur, planè amittitur etiam nobis ignorantibus, quamprimum alius eam ingressus fuerit *l. 44. §. 2. ff. de A. v. A. P.* Nam ministerio illo quod coloni nobis præstiterunt, per occupationem alterius sublato, tollitur quòque ipsa possessio *d. l. 44. §. 2.* Illa verò possessio, quæ nostro proprio animo & per nosmet ipsos retinetur, durat, quamdiu ab aliò occupatam ignoramus *l. 46. ff. de A. v. A. P.* Cæterùm rerum incorporalium q. possessio retinetur usu *l. 20. ff. quemad. Servit. amitt.* imò sufficit ad retinendum usum fructum, esse affectum retinere volentis; & servum nomine fructuarii aliquid facere *l. 12. §. 4. ff. de Usufr.* Unde per colonum, amicos & hospites retinentur servitutes *l. 1. §. 7. ff. de itin. act. pr.*

XXIX. Potrò prætoria remedia non parum conducunt ad retinendam possessionem, ut enim per ea possessio acquiritur, ita etiam salva retineri potest. Estque inter alia interdicta etiam hoc, *Ne vi fiat ei &c.* Quod editum generale est, pertinet ad omnes, qui in possessionem à prætore missi sunt *l. 1. §. 2. ff. Ne vi fiat &c.* sive fideicommissi servandi causa *l. 3. pr. ff. eod.* sive damni infecti nomine *l. 4. ff. eod.* sive rei servandæ causa *l. 1. §. 1. ff. eod.* quos ita missos prætor tueretur *d. l. 1. §. 2. ff. eod.* Nam nisi ita missos prætor tueretur, tum frustra in possessionem mitteret *l. 1. §. 1. ff. eod.* Hac accedit quoque interdictum *uti possidetis*, pro rerum immobilium possessione retinenda inventum *l. 1. §. 1. 4. ff. eod.* De rerum verò mobilium possessione interdicto *utrobi* contenditur *§. 4. Inst. de Interd. l. un. ff. Utrobi*. Experiens hoc interdicto coram iudice, probabit se nec vi nec clam nec precario, ab altero possidere, tum rector provinciæ prohibebit vim fieri, edicti perpetui formam servatam transferendæ possessionis, de proprietate cognoscens *l. un. C. uti possid.* Si verò ab adversario suo possideat, non debet eum propter hoc, quod ab eo possideat vincere; has enim possessiones non debere proficere palam est *l. 1. §. fin. ff. Uti possid.* Et cum pares fuerint scilicet, tam actor quam reus in probando, tunc iudex præsentis possessori possessionem adjudicabit *§. 4. Inst. de Interd. Conf. l. 2. in fin. ff. uti possid.* Aliàs de jure Canonico per text. in *C. licet. de probat.* is vincet possessionem, qui antiquiorem probaverit. Quod hodiè in praxi servari ex *Gail. de pign. observ. 22. n. 3. & 8. Excell. Dn. Hahn in observ. ad Wesemb. tit. Uti possid. p. 603.* dicit. Hoc interdictum datur adversus quovis modo turbantem aliquem in sua possessione, sive turbatio illa fiat facto aut verbis, interdum etiam verbalis sufficit. Nam non rarò nuda diffamatio alicujus juris in re quam alter possidet, turbatio fit, atque ita jus possessoris redditur obscurum arg. *l. 3. §. 2. ff. uti possid.* Qua de re vid. *Dn. Hahn p. 601.* Ubi fuit id ipsum ex *Clud.* demonstrat. Similiter q. possessio hoc interdicto retinetur *l. fin. ff. Uti possid. junct. l. 2. pr. ff. si servit. vindic. & l. ff. de Servit.* Sunt & alia interdicta de Servitutibus specialiter proposita, puta interdictum *de itinere actuq. privato*, rusticas tantum modo servitutes concernens *l. 1. §. 1. ff. eod. quem §. Dn. Hahn de dic.*

de directo interdicto, quoad rusticas servitutes intelligendum, aurtmat. Aliàs non modò de rusticis; sed & de urbanis accipiendum interdictum hocce monet, juxta notat. *ad tit. Uti possid. v. 2. verb. ut ades p. 599.* Requiritur autem ab usuro hoc interdicto, ut ostendat se bonâ fide i. e. non vi, clam aut precario (si contra dominum actio sit instituenda; aliàs enim possessio clandestina & precario acquisita sufficit) sed justo titulo, ad minimum jure servitutis hoc anno & 30. diebus, iter vel actum in usu habuisse *l. 1. §. 2. & 4. ff. de itin. act. priv.* Et non tantum is, qui usus est, experiri potest hoc interdicto; sed etiam is cui aliquid legati & donationis jure concessum est *l. 1. §. 7. 8. & 9. ff. de itiner. act. priv.* Huc referuntur etiam alia interdicta, utpote *de aqua quotidiana, de fonte, de rivis & cloacis &c.* quorum omnium explicacionem abundè apud varios juris Civilis Comment. ante omnia apud *Menochium in doctissimis suis Comment.* videre licet.

XXX. Possessio ita legitimè acquisita & conservata, variis modis probari solet, quos apud *Wesembecium & alios* videre licet. Qui ad duo capita non incommodè à *Bachov. in Notis ad Wesemb.* revocantur; quorum primum continet actus possessorios, quò spectat 1. insistentia *l. 1. §. 2. ff. de A. v. A. P.* unde possessio præsumi potest, si conjuncta fuerit cum animo sibi habendi, in re tali, quam alius non possideat *l. 5. §. 15. ff. Commod. & cujus naturæ rō insistere non repugnet, ne videlicet sit res sacra, aut commodata vel deposita, quæ propriè & absolute loquendo non possidentur; ut ex antea dictis constat. Et fortius inde probatur, si insistentia illa nitatur culturâ v. c. fundi *l. 3. §. 4. ff. Uti possid.* quæ vel in satione & plantatione consistit *arg. l. 3. C. fin. regund.* hinc in jure Suec. *C. 7. §. 1. B. B. II.* dicitur: *Ed åger hwar för åker sinom grasswa. & C. 25. §. 4. B. B. II.* rå åga the wercka hnggia som jordåganbe åre / och bygger hwar effter ty som han åger i byamåle och i tomtpt. Conf. *C. 8. ejusd. tit.* vel in perceptione fructuum *arg. l. 2. C. de A. & R. P.* ac solutione censuum & collectarum proprio nomine facta *arg. l. 8. C. de actionib. empr.* Huc videntur spectare ea, quæ in *Jur. Suec. C. 20. Jordab. II.* dicuntur: *Du sigir landboe affradh wara guldit / och Jordeganbe sigir nen. 2. Investitura, quâ quis Vasallus declaratur per traditio-**

nem hastæ 2. *Feud. 2. pr.* à feudi domino ipsi datæ; quomodo res in feudum constituta intelligitur, eique qualitas feudalis tribuitur 2. *Feud. 8.* Huc refertur scientia viciniae, dum sc. vicini per fidam contestationem, de huiusmodi actibus possessoriis deponunt. Secundum verò caput complectitur probationem causarum, ex quibus possessio acquiri solet, quas inter præter recensitas in *thes. 13.* etiam connumerari potest 1. Retentio ususfructus, quâ quid amplius non requiritur, quo magis videatur facta traditio rei *l. 28. C. de donat.* 2. Consignatio ipsius rei *l. 14. §. 1. ff. de pericul. & comm. rei vendit.* quanquam ipsius rei traditionem non importet; sed potius id involvat, ne res summutetur i. e. interprete *Gothofr.* ne supponatur alia pro alia v. c. amphora *l. 1. §. 2. ff. de peric. & com. rei vend.* 3. Instrumentorum sc. emptionum mancipiorum traditio, quâ mancipia per donationem transeunt in donatarii possessionem *l. 1. C. de donat.* quæ traditio fit vel brevi manu *l. 43. §. 1. ff. de jur. tot.* vel longâ *l. 79. ff. de Solut.* Huc accedunt etiam legitimi contractus; quales sunt: emptio venditio alique, quorum interuentu possessio itidem acquiri potest. Unde in *Jur Suec. c. 17. Tit. 11.* dicitur: Nu griper then til ledst som i handom hafwer sigir sig köpt hafwa / eller wåd h sät / lego eller lâne tagit / eller med h lysningom Bptagit / och sigir sine hemulo wita. *Conf. C. 18. 19. ejusdem tit. item C. 14. Erfdab. 11. & C. 30. Jordab. 11.*

XXXI. A possessione ita acquisita, conservata & probata effectus non pauci fluunt, quasi per simplicem emanationem; quorum præcipuos saltem hic recensebimus. Est autem 1. fructuum ex re possessa perceptio, quæ in utendo fruendo cernitur; de quo effectû supra paucis actum, quæ hic repetere nolumus, ne crambem bis coctam benigno lectori apponere videamur, in leg. methodi impingentes. 2. Impensarum deductio. Sunt autem illæ triplices, ut patet ex *l. 79. §. 1. & 2. ff. de V. S.* Necessariæ, utiles & voluptariæ. Istæ sunt, quæ si factæ non sint, res aut peritura, aut deterior futura est, veluti aggeres facere, flumina avertere, ædificia vetera fulcire, itemque reficere, arbores in locum mortuarum reponere *l. 14. ff. de Impens. in rem dot. fact.* Illæ sunt, quæ meliorem rem faciunt, veluti si novel-



novelletum in fundo factum sit, aut si in domo pistrinum  
aut tabernam quis adjecerit, si servos artes docuerit *l. 6. ff.  
de impens. in rem* & c. eò etiam spectat arbusti & fundi pastinatio  
*l. 79. §. 1. ff. de V. S. l. 15. §. 1. ff. quod vi aut clam.* ut & stercoreatio  
prædiorum *l. 14. §. 1. ff. de impens. in rem.* Hæ scilicet volupta-  
riæ sunt, quæ speciem duntaxat ornant, non etiam fructum au-  
gent, ut sunt viridaria, aquæ salientes, in crustationes, loricatio-  
nes & picturæ *l. 79. §. 2. ff. de V. S. Conf. l. 8. §. 1. de ff. & instr. instr. leg. l.  
12. ff. de S. P. V. l. 39. §. 1. ff. de hered. petit.* Itaque qui hujusmo-  
di sumptus b. f. fecit, per doli mali exceptionem contra vindic-  
antem dominium, sumptus servare juris autoritate potest *l.  
11. C. de R. V.* Si verò fructuum ante litem contestatam percé-  
ptorum summam, sumptus excedant, tum superfluum sumptuum  
dominus restituere cogitur *l. 48. ff. de R. V.* Nam fructus eos  
demum esse constat, qui deductâ impensâ supererunt *l. 7. ff. de  
Solut. matr. l. 1. C. de fruct. & lit. expens. conf. l. 36. §. 5. ff. de he-  
red. petit.* Huc ex Jur. Suec. potest referri *c. 34. §. 1. in fin. W. B.  
§§. 3. Retentio.* Commodum enim possidendi in eo est, quod  
etiamsi ejus res non sit, qui possidet, si modò actor non poterit  
suam esse probare, remanet in suo loco possessio *§. 4. Inst. de In-  
terd.* unde qualiscunq; possessor plus juris habet, quàm ille qui  
non possidet *l. 2. ff. de uti possid. l. 24. ff. de R. V.* Possessores e-  
nim jure potiores sunt, licet nullum jus habeant *l. 5 in fin. ff. Si  
Usufr. pet.* Ita etiam in jure Suec. *c. 4. Jordab. §§.* dicitur: *hvar  
hon laglika Wpudin och laglika ståndin/ hafwi tå then som fån-  
git hafwer.* Et *c. 7 ejusd. tit. Behålle tå then sem fångit hafwer.*  
*Conf. 43. §. 1. W. B. §§.* Si verò actor probaverit rem suam esse,  
necesse habebit possessor restituere *l. 9. ff. de R. V. Conf. l. 9. C.  
de excep.* Itaque durior causa petitoris *l. 33. ff. de R. V.* Meliòr  
verò possessoris *l. 126. §. 2. ff. eod.* scilicet in pari conditione *l. 128.  
ff. eod.* Hinc in Jur. Suec. *c. 15. Erfdab. §§.* dicitur: *hvar håbbe  
thet han fångit hafwer.* Quocirca nec titulum possessionis suæ  
tenetur allegare *l. 11. C. de petit. hered.* nisi conventus fuerit, tunc  
enim possessionis suæ titulum dicere cogitur respondendo quòta  
ex parte fundum possideat *l. 20. §. 1. ff. de interrogat. Conf. l.  
36. ff. de R. V.* Nam in causa petitionis hereditatis regulariter  
posse-

possessor interrogatus de qualitate possessionis, eam declarare, tenetur *l. 9. §. 6. ff. de interrogat.* aliàs certum est, quod possessor probationem in adversarium rejiciat *l. 14. ff. de probat.* Et si de quasi possessione sermo sit, tum is qui se dominum dicit similiter actoris partes sustinebit, & necesse habebit servum suum probare *l. 7. §. 5. ff. de liber. caus.* Attamen is qui in possessione servitutis realis est, non levatur onere probandi servitutem, ut patet ex *l. 9. C. de Servit.* Huc refertur etiam id, quod satisfacere non compellatur, si immobilium possessor sit *l. 15. ff. qui servid. cogant.* quod intelligendum quo ad cautionem de iudicio sistendo in criminalibus iis in casibus, quibus aliàs dandi essent fideiussores interprete *Bachov. in Disp. 21. p. m. 327.* 4. Usucapio quam continuatio possessionis per tempus lege definitum inducit *l. 3. ff. de Usuc.* Usucapio enim possessionem sequi solet *l. 33. pr. ff. de Usucap.* Unde sine possessione contingere nequit *l. 25. ff. eod.* Non tamen quævis res indiscriminatim usucapi potest; nam res sacræ, sanctæ, publicæ, universitatibus & liber homo, usucapionem non recipiunt *l. 9. ff. de Usucap.* quia non possidentur *l. 23. §. 2. l. 30. §. 1. ff. de A. v. A. P.* quæ de re actum paucissimis *rb. 15. §. 20. §. 5.* jus restituendi quod possessor habet, si ei vis in sua possessione intentetur, eaque deiciatur; nam adversus periculum naturalis ratio permittit se defendere *l. 4. ad leg. Aquil.* imò omnia jura permittunt vim defendere, si tuendi duntaxat non autem ulciscendi causa fiat *l. 45. §. 4. ff. eod. l. 3. ff. de I. & I. l. 1. §. 27. ff. de vi & vi arm.* Idque in ipso congressu fieri debet *l. 3. §. 9. & l. 17. ff. eod.* prout *th. 28.* diximus. Qualis violentia Suecis dicitur *He emsoen c. 5. Eedjörish. §. 1.* item *heemgång c. 5. §. 1. eod.* quam de Jur. Suec. etiam propulsare licet *arg. c. 27. Ronungab. §. 1.* Cujus ratio redditur *c. 21. Eedjörish. §. 1.* *Dy att hvar man äger fridh å sino gotse hafwa.* Idem asseritur *c. 3. §. 1. ejusd. tit.* quod jus ita munitum est, ut nec rescripto principis, citra conventionem in possessione possessor turbandus sit *l. fin. C. Si per vim.* Hinc in Jure Suec. *c. 7. §. 2. Rådst b. §. 1.* dicitur: *Engta skal dierfwas til att göra något wåld; wårck å then brutslifen är; Wchan låti tā han före Fogatan och Rådman komma.* Quocirca possessio ei à quo ablata est absque causæ cognitione illico reddenda est per *l. 6. §. 1. C. Unde vi.*

XXXII. Quos effectus si quis penitus ponderaverit, deprehendet eos possessioni quã tali non posse accommodari, & per consequens adæquatos non esse. Primum enim effectum, quod concernit, utique patescit, omnes possessores fructus non posse lucrari; quales sunt creditor, malæ fidei possessor & sequenter, qui tamen possident, imò ille effectus civili possessioni præcipuè competere videtur, si b. f. possessor justã opinione ductus titulum se habere putet, cæteroquin b. f. possessor non poterit videri, & per consequens fructus lucrari nequit. Vid. *Bachov. Vol. 2. Disp. 21. thes. §. lit. B. p. m. 355.* Similiter liberari ab onere probandi possessionis perpetuus effectus non est; quia procedit saltem in casu rei litigiosæ, nec habet fundamentum in jure possessionis; sed in communi privilegio reorum. Hinc tritum illud; actore non probante reus absolvitur. Particularis igitur effectus competens etiam civili possessioni; quoniam vi hujus effectus possessor dicitur præsumi dominus, quod non nisi de civili prædicari potest; quemadmodum idem *Bachov. in d. thes. §. lit. A.* subtiliter docet. Usucapio quoque eodem modo ad possessionem civilem non injuriã restringi potest: illam enim possessionem quæ usucapionem producat, oportet qualificatam esse, i. e. conjunctam cum titulo & bonâ fide, quod de possessione quã tali prædicari nequit.

XXXIII. De possessione hæctenus dicta obtinent, quatenus nondum amissa est; nunc igitur breviter agendum de ejusdè amissione. Ubi initio quæri solet, an ut opus corpore & animo in acquirendo, ita & in amittendo. Quod affirmat *l. 8. ff. de A. v. A. P.* Ubi instituitur comparatio inter acquisitionem & amissionem; & quemadmodum illa tam corpus quàm animum; ita etiam hæc utrumque requirit. Ita tamen ut animo principalitèr amittatur *l. 3. §. 6. ff. de A. v. A. P.* nam quam primum quis animo secum constituit se non possidere, eo ipso protinus possessionem amittat necesse est *l. 17. §. 1. ff. eod.* secundariò verò & consequenter corpore fit amissio *l. 44. §. 2. ff. eod.* Ubi dicitur corpore amitti, si eo animo inde digressi fuisset, ne possideremus; quomodo animi amissio, corporis quoque amissionem secum q. trahit. Aliàs Dd. communiter *l. 3. §. 6. ff. de A. v. A. P.*

H

cum

cum *d. l. 8. ff. eod.* conciliant hoc modo, dicentes *l. 8.* intelligendam esse, quoties quis incipit desinere possidere corpore, ita ut exiens de fundo non amittat possessionem, nisi habuerit animum deserendi possessionem *l. 31. ff. de A. v. A. P.* Si verò incipiat animo desinere possidere; ut si nolit possidere, tùm amittitur statim, etiamsi adhuc corpore possessioni incumbat; quomodo *d. §. 6. l. 3. ff. eod.* accipiendū monent. Priori igitur modo amittitur corpore & animo simul: posteriori verò animo tantum. An verò solo corpore possessio etiam amittatur, cum quis de fundo recedit, disquirunt Dd. distinguentes inter possessionem civilem & naturalem. Illam per exitum non amitti, sed solo animo civiliter possidentem quocunq̄ vadat eandem retinere per *l. 6. §. 1. ff. de A. v. A. P.* At circa hanc sc. naturalem iterum distinguunt inter naturalem in specie tantum, quam habet v. c. usufructuarius; & naturalem in genere, quæ est conjuncta cum civili. Illam exiens de fundo non amittit; sed animo eandem retinet, etiamsi res in conspectu non sit, per *l. 3. §. 13. 14. ff. de vi & vi arm.* Ubi fructuario, (qui de fundo discessit, & paulò post revertens non admittitur) assignatur interdictum unde vi. Itaque constat hinc talem fructuarium possessionem naturalem retinuisse, aliàs absens possessione non potuisset privari, neq̄ interdictum unde vi haberet, quod nemini datur, nisi aut naturaliter aut civiliter possidenti, ut patet ex *§. 6. Instit. de Interd.* Hanc verò asserunt amitti retentâ civili, si possidens de fundo discedat, qui non est in conspectu, nec etiam in propinquo. Idque probant, per *l. 6. §. 1. ff. de A. v. A. P.* Rationem verò diversitatis hanc assignant; quia in possidente civiliter non subest aliqua necessitas fingendi, ut absens retineat naturalem, cum civilem retineat, per quam indemnitati ejus consultum est. Verum in naturaliter possidente, ipsa necessitas suadet naturalem animo teneri, ut indemnitati ejus prospiciatur. Qua de re vid. *Schneid. Inst. de Interd. n. 127. Bachov. in d. Disp. p. m. 338.* huic rei medicinam quaerit, distinguens inter duplicem corporis considerationem; dicit enim corpus denotare 1. insistentiam talem in re, quæ possessionem constituit; quomodo ad id, ut possessio amittatur, etiam corpus abesse debet. 2. talem actum insistendi qui citra affectum est;

est; quomodo etiam hospes, amicus, in fundo est; quo sensu cor-  
pus ad retinendam possessionem nihil facere ait.

XXXIV. Contingit verò illa amissio 1. Voluntariè, cum  
quis nullà necessitate adactus constituit se alieno nomine possi-  
dere rem, quam suo nomine antea possidebat *l. 18. pr. ff. de A. v.  
A. P.* Ut verò aliis quoque ratio illa amittendi possessionem,  
constet, opus est 1. verbis, veluti si quis deliberato animo,  
affectione possidendi destitutus, dicat se possidere nolle; quo  
spectare videtur *l. 3. §. 6. ff. de A. v. A. P.* ita factà novi operis  
nunciacione amittitur possessio, & is possessor efficitur, cui nun-  
ciatur possessio *l. 1. §. 6. l. 5. §. 10. ff. de novi operis nunciacione* 2. fa-  
ctis, ut si quis eà mente possessionem alicui tradidit, ut postea si-  
bi restitueretur, desinit possidere *l. 17. §. 1. ff. eod. l. 30. §. 4. §. l. 44.  
§. 2. in fin. ff. eod.* imò sufficit ad amittendam possessionem dimit-  
tere eandem, licet non dum sit translata *l. 18. §. 1. ff. eod.* Si autem  
aliquis in vacuum possessionem, puta fundi Corneliani missus  
fuerit, & is putans se in Sempronianum missum, in Cornelianum  
iverit, non acquireret errans, nec alter amittet possessionem, quia  
quodammodo sub conditione de possessione recessit *l. 34. ff. de  
A. v. A. P.* quam conditionem deducunt Dd. ex *l. 18. ff. de vi & vi  
armat.* si nimirum ab altero acceptetur. Huc spectat manumis-  
sio servi alieni *l. 30. §. 4. ff. de A. v. A. P.* nec non sequestratio par-  
tium consensu facta *l. 39. ff. eod.* Porrò volentibus nobis possessio  
amittitur, vel ratione rei si conditio ipsius rei mutetur, veluti si  
fiat sacra vel religiosa; qui enim mortuum in eum locum infert,  
quem possidebat eo animo, ut inde postea aliò non transferat,  
utique eo ipso possessionem à se abdicare voluisse intelligitur,  
cum res sacræ commercio hominum sint exemptæ *l. 30. §. 1. ff. de  
A. v. A. P. §. 7. Inst. de R. D.* vel ratione possessoris, veluti si quis  
sponte sua se arrogandum dedit, ut vel servus vel filius efficiatur  
*l. 16. ff. de precar. l. 30. §. 3. in fin. ff. de A. v. A. P.* Hinc si aliquis  
monasterium ingrediatur eo animo, ut ibi vitam ducat, is desinit  
possidere rem quam antea possidebat, quia transit in potestatem  
monasterii *Aubem. ingressi C. de SS. Eccles.* Ad voluntariam a-  
misionem ex *Jur. Suecan. C. 10. Jord. B. 11.* spectare videtur.  
2. Coactè, cum quis invitus possessione privatur. Ubi distinguen-

dum inter res immobiles & mobiles. Illas naturali tenendi vel  
 insistendi facultate amissa, sine facto nostro amittimus. Idque  
 Casu sc. occupatione externâ, quæ vel à causa naturali, puta à flu-  
 mine vel mari fit, cum locum quem quis possidebat, inundatio  
 diuturna occupaverit *l. 3. §. 17. l. 30. §. 3. ff. de A. v. A. P. l. 10. §. 2.*  
*ff. de reb. aut. bôr. jud. possidend.* vel aliàs ab hominibus, idque (1)  
 injustè, si vel iis deiciatur *l. 5. ff. de Usucap. l. 1. §. 1. ff. de vi & vi*  
*armat.* vel alius in absentia possessoris eas ingressus fuerit, & do-  
 minus sciens metu perterritus noluerit accedere, suspicans se  
 posse repelli ab eo qui possessionem occupavit *l. 3. §. 8. l. 6. §. 1. l.*  
*7. l. 25. §. fin. ff. de A. v. A. P. l. 1. §. 28. 29. ff. de vi & vi armat.* Sed  
 oblatre videtur *l. 3. §. 6. ff. de A. v. A. P.* Ubi animo solo possessio  
 amitti dicitur. Cum verò quis de possessione deiciatur, non vi-  
 detur habere animum perdèdi possessionem; quoniam non præ-  
 sumitur amissioni possessionis suæ consentire; Verum sciendum  
 est, animum ad amissionem possessionis requiri, quando spontè  
 amittitur *l. 17. §. 1. ff. de A. v. A. P.* aliter verò se res habet in  
 amissione possessionis, quæ coactè & violenter fit; tunc enim suf-  
 ficit etiam coacta voluntas *l. 3. §. 8. ff. eod. l. 6. ff. eod.* qualis vo-  
 luntas etiam voluntas *l. 21. §. 5. ff. quod met. caus.* Neque obstat  
*l. 17. ff. A. v. A. P.* ubi vi dejectus, perinde haberi dicitur ac si pos-  
 sideret. Nam id intelligendum est, quatenus possessionem recu-  
 perare potest. Vid. *Schneid. §. 5. Inst. de Interd. n. 174.* Hic etiam  
 probè notandum venit, quod earum rerum possessionem, quam  
 ministerio corporis alieni tenemus, faciliùs amittamus etiam  
 ignorantes, modò alius possessionem ingressus fuerit *l. 44. §. 2. in*  
*fin. ff. de A. v. A. P.* vel si is qui nostro nomine possidebat, dese-  
 rendæ possessionis causa excefferit *l. 31. ff. eod.* (2) justè, cum vel  
 prætor aliquem in possessionem ire iusserit, quod damni infecti  
 non promittebatur *l. 30. §. 2. ff. de A. v. A. P. l. 15. §. 16. ff. de dam.*  
*infect.* Ita de Jur. Suc. amittitur quoque possessio, ut patet ex 27.  
 C. Ting. b. 11. ubi dicitur: *tâ skulo jord mâtas. Râctia eij the til/*  
*tâ skal Bjord hans mâtas: fund; eij hon til/ tâ skal mâtas i Boof-*  
*bynom etc.* vel cum fundus ex negligentia domini vacet, quam  
 adipisci neglexerit *l. 40. §. 1. ff. de A. v. A. P. l. 37. §. 1. ff. de Usucap.*  
 Sed quantum tempus requiratur, ut quis per negligentiam dica-

EUR

tur amittere possessionem, disquirunt Dd. Communiter tamen  
concludi ait *Schneid.* negligentiam longi temporis i. e. decem-  
annorum, propter *d. l. 37. §. 1. in fin. ff. de Usucap.* Ubi longi tem-  
poris fit mentio: longum verò tempus ex glossa in *l. 16. §. 3. ff. qui  
& à quib. manum.* per decennium explicat idem Author §. 5. *Inst.  
de Interd. n. 179.* Mobiles verò amittuntur i. fortuità rei subdū-  
ctione, cum res custodiam nostram ita evasit, ut ignoremus ubi  
sit *l. 25. pr. ff. de A. v. A. P.* vel ita exciderit, ut amplius non inve-  
niatur *l. 3. §. 13. ff. eod.* Hinc columbas & apes ex consuetudine  
redeuntes non amittimus *l. 3. §. 16. ff. eod.* sed feras alias naturali  
sue libertati relictas, quamvis in sylvis circumseptis vagentur  
*d. l. 3. §. 14. ff. eod.* nec pecunia, à peregrè profecturo in terra cu-  
stodià causa condita, licet revertens locum thesauri memorià  
non repeteret, amittitur, quamdiu eam alius non invadit *l. 44. ff.  
de A. v. A. P.* sed res in flumen demersa *l. 13. ff. eod.* & quæ nau-  
fragio periëre, in deperdito habentur *l. 21. §. 1. ff. eod.* Itemque res  
deposita apud depositarium, ab eodem furti faciendi causà con-  
tractata *l. 3. §. 18. ff. eod. Conf. l. 47. ff. eod.* Ubi dicitur, quod pro-  
prietarius etiam ignorans rem depositam amittat, si depositarius  
eandem sibi possidere, nec reddere constituerit. 2. Injustè amit-  
titur res non tantùm surrepta alicui; sed etiam vi erepta *l. 15. ff.  
de A. v. A. P.* imò ab iis per quos quis possidet, aliis tradita *l. 3. §.  
9. ff. eod.* Ex jur. Suec. *C. 5. & 7. Etip. B. S. §. 1. modus amittendi  
possess. huc quadrare videtur; prout initialia verba innuunt. Conf.  
insuper integer tit. de Furtis.* Denique quasi possessio rerum in-  
corporalium amittitur potissimùm, quoad usucapionem inter-  
rumpendam, cum serviens fundus ex servitute liber fiat *l. 32. §. 1.  
ff. de S. P. V.* Deinde si is contra quem præscribitur, expulerit  
præscribentem de jure suo *l. 4. §. 27. ff. de Usucap.* quoniam q. pos-  
sessio involvit patientiam adversarii *l. 5. ff. de Servit.* quæ denegatà,  
non potest non talis possessio interrumpi. Tandem non utendo  
jure vel per negligentiam vel absentiam, accedente legitimo  
tempore ad præscriptionem requisito, quod decennium contra  
præsentés, viginti verò annorum spacium contra absentes *l. 13. &  
14. C. de Servit.* Si verò non sit usus ex necessitate, ut quia per-  
ipsum non stetit quo minus uteretur, tàm non potest ei præscribi

servitus, quia casus se non obtulit, quo opus fuisset servitio. Itaque jus semel quæsitum, habens causam continuam, retinetur etiam sine animo, & sine persona per ipsum fundum cui servitus debetur, ut est in servitute aquæ ductus, si aqua sponte defluat, tùm enim nemine possidente, sine facto hominis ista servitus retinetur per fundum *l. 12. ff. quemadm. Servit. amit.* ibiq; *Gotthof. in Notis suis.* Vid. etiam *Schneid. d. S. n. 162.*

XXXV. Possessio ita amissa, recuperari potest per remedia recuperandæ possessionis, quibus provisum est à prætore, contra vim expulsiivam. Estque inter alia interdictum unde vi, de quo integer titulus in *ff. de vi & vi armat. & C. unde vi.* Quod concernit res solùm immobiles *l. 1. §. 3. & 6 ff. de vi & vi armat.* secundariò tamen ad res etiam mobiles extendi potest, quatenus rebus immobilibus adhærent, & unà cum illis auferuntur, ut patet ex *l. 1. §. 6. in fin. ff. eod.* Conf. *§. 33. ff. eod.* Extra hunc casum, pro reb. mobilib. recuperandis, deficiente hoc interdicto, datur actio furti, vi bonorum raptorum, & ad exhibendum *d. §. 6. ff. eod.* Competit autem hoc interdictum ei, qui tunc cùm deiceretur, possidebat *l. 1. §. 23. ff. eod.* puta de solo, area aut ædificio *l. 1. §. 3. ff. eod.* sive clam vi aut precariò possideat *§. 6. Instit. de Interd.* sive naturaliter sive civiliter *l. 1. §. 9. ff. eod.* sive corpore aut animo *l. 1. §. 24. ff. eod.* Datur itaque hoc interdictum prædoni, qui ab alio vi possidet, si vicissim ab alio extraneo vi dejiciatur *l. 1. §. 30. ff. eod.* Hæc quadrat ex jur. *Succ. c. 10. dråpmb. medh wilsta* & *Nu ån någor råner dråparin af them som han i handom hafwer: ðhen som thet gör/han hafwer brutit Konungz Edzörc.* Hinc vitiosa possessio adversus extraneos prodesse dicitur *l. fin. ff. de A. v. A. P.* nec cogitur restituere, nisi intentionem suam implenti *l. 28. C. de R. V.* An verò competat eidem, quando contra dominum agit disquiri solet? Quod *Schneid. §. 6. Instit. de Interd. n. 23.* affirmare videtur ductus *l. 7. C. ad leg. Jul. de vi publ.* Verum pro hujus decisione distinguendum putant Dd. inter prædonem manifestum & non manifestum. Illi non posse competere ajunt; quia in tali casu dominus spoliatus jus proprietatis habet; prædo verò id juris quoad possessionem; hinc dicitur dolo agere, dum possessionem mox reddendam petit *l. 173. §. 3. ff. de R. J. l. 2. §. 5. ff.*



§. ff. de dol. mal. & metu except. Conf. l. 8. ff. eod. Huic verò se.  
non manifesto competere statuunt; quo sensu d. l. 7. C. ad leg.  
jul. de vi pub. cum l. pen. §. 2. C. de prescript. 30. amor. & l. 7. C. un-  
de vi exaudiendam dicit Dn. Hahn. in observ. ad Wesemb. tit. de vi  
& vi arm. n. 12 p. 598 Vid. etiam Bachov. ad Treutl. Vol. 2. Disput.  
23. thes. lit. C. Ubi etiam 6. objectionib. satisfacit. 2. Emphyteutæ  
& Vasallo, quippe qui naturaliter possident l. 1. §. 9. ff. de vi & vi  
arm. 3. Usufructuario l. 3. §. 13. ff. eod. 4. Heredi cæterisq; successori-  
bus l. 1. §. 44. ff. eod. 5. Non solum dominis colonorù l. fin. ff. eod. sed  
etiam ipsis colonis contra emptorem l. 12. ff. eod. quia non ab ipso  
emptore, sed à venditore per vim fundus possessus est, cui posses-  
sio adempta est l. 18. ff. de vi & vi arm. Datur autem hoc interdictù  
ideò, ut possessio restituatur cum omni causa quam habuisset.  
spoliatus, si dejectus non esset l. 1. §. 4. ff. d. tit. C. unde vi. Quod præ-  
tor ita accipiendum dicit, ut sub eodem comprehendantur, non  
solum quæ propriæ ejus fuere; sed etiam quæ apud eam deposi-  
tæ, vel ei commodatæ, vel pignoratæ, quarumque usum vel u-  
sufuctum vel custodiam habuit d. l. 1. §. 33. ff. eod. Potestq;  
is qui alium de possessione vi expulit, criminaliter & civiliter  
conveniri; in ferendo enim vim, Reipub. tranquillitatem turbat  
l. 1. §. 2. ff. eod. l. 7. C. ad leg. Jul. de vi pub. Ad servitutes persona-  
les hoc interdictum etiam extendi potest l. 3. §. 14. 15. 16. & l. 9. §. 1. ff.  
de vi & vi armat. Aliàs possessione spoliatis subvenitur ex l. 5.  
l. 6. l. 7. C. unde vi & l. 10. C. eod. l. 1. C. si per vim vel alio mod. abs.  
posses. perturb. sit. Præterea qui rem alicujus habet, tenetur ei  
Conditione l. 32. ff. si cert. petat. l. 4. C. eod. Similiter ex con-  
ditione triticaria, si de fundo dejectus dominus sit, qui condi-  
cat l. 2. ff. de condit. tritic. Insuper ex conditione indebiti, ut si fal-  
sò existimans possessionem me tibi debere alicujus rei, tibi tradi-  
dissem, condicerè l. 15. §. 1. ff. de Condit. indeb. Ubi Paulus tria exem-  
pla recenset per hoc remedium reposcenda. De hisce & aliis  
remediis possessionis recuperandæ, quibus authoribus introdu-  
cta, quid contineant, pro quibus rebus, cui, contra quem, quam-  
diu dentur, quid juris de heredibus, quid quis per hæcce conse-  
quatur, quid de rebus ipsis, de damnis, de interesse, de fructibus,  
de melioramentis, de extensionibus, cumulationibus & denique  
cujus

cujusmodi supplicio, vel ipso jure vel facto iudicis violenti inva-  
fores, vel alienarum rerum scienter & injustè detentores affici-  
antur? consulatur *Menochius in Comment. ad rit. de A. v. A. P.*

### SCICILIMENTA:

#### 1. *Vasallus feudum civiliter non possidet.*

Non tantùm prisci Icti, sed etiam neoterici de Vasalli posses-  
sione acriter disceptârunt, eò tandem devenientes, ut eidem civi-  
lem possessionem attribuere non erubuerint, quos inter etiam  
*Baldus* aliiq̃ue: quidam eò dilapsi sunt, ut dominum nullatenus  
possidere asseverare non dubitârint, in quorum censu est *Fran-  
cis; Connan. 3. Comm. 10. Ibidem.* Vasallum tam civiliter quàm  
naturaliter possidere asserens: illo modo usumfructum; hoc ve-  
rò rem feudalem. Verum quod opinio illa *Baldi*, ut & *Conna-  
ni* simpliciter falsa sit, constat vel inde 1. quia possessio illa quam  
Vasallus per investituram adipiscitur, proprietatem eidem non  
parit 2. *feud. 8. §. quamvis.* quippe quæ penes dantem remanet:  
ususfructus verò rei illius ita ad accipientem transit in perpetu-  
um, ut ille & sui heredes domino fideliter serviãnt 2. *F. 32. §. hu-  
jus in fin.* ei fidelitatem præstando, non pandendo in detrimen-  
tum Domini aliis, id quod Dominus sub nomine fidelitatis ei  
commisit 2. *f. 5. 6. 7.* 2. Si verò Vasallus domino deservire nolue-  
rit, tùm feudo privatur 1. *f. 21.* quod ita accipiendum, si à domino  
ei denunciatum fuerit, & ille cùm potuerit, diu steterit, quod ser-  
vitium nullum ei fecerit 2. *f. 28. §. ad hæc.* Eadem privatio con-  
tingit, si beneficium suum inornatè tractaverit, & à domino  
admonitus non resipuerit 2. *F. 27. §. 7.* Hinc 3. Sine permisso-  
ne domini feudum alienare, in alium extraneum transferendo,  
nequit 2. *F. 34. §. Similiter.* idem sancitur constitutione *Lotha-  
rii 2. F. 52.* quod *Friderici* lege perpetuò valiturâ confirmatur 2.  
*F. 55.* Idq̃ue ob dictam rationem, videlicet dominium proprie-  
tatis quod non vasallo, sed domino competit *l. 15. §. 1. ff. qui satisd.  
cogant. conf. l. 10. §. 3. & l. 49. ff. de A. R. D.* Rectius igitur assi-  
gnatur ipsi Vasallo possessio naturalis, non tantùm respectu ju-  
ris in re, cujus dominium alteri concedere necesse habet, non se-  
cus ac precario rogans, aut pignori rem accipiens opinione do-  
mini

mini non possidet *l. 22. §. 1. ff. de pign. act.* sed etiam ipsius rei, in ipsum à domino per investituram propriam translata. Unde hanc habet potestatem, ut tanquam dominus possit rem à quolibet possidente sibi quasi vindicare, & si ab alio ejus nomine conveniatur, defensionem opponere *2. F. 8. §. rei autem conf. 2. F. 2.* Hinc investiturâ factâ & fidelitate subsecutâ, omni modo cogitur dominus investitum in vacuam possessionem mittere *2. f. 7. §. fin. 2. f. 26. §. si facta.* Pluribus hanc controversam quaestionem persequitur *Consultus. Dn. Stravius Exercitat. 12. t. b. 1. & seqq. juris Feudalis*, ubi ex veris juris principiis, pro more suo solidè eandem deducit & eruditè declarat.

*11. Per servum hereditarium jacente adhuc hereditate, quod ejusdem hereditatis est, non potest heredi acquiri.*

Gravis agitur controversia inter Ictos de genuino sensu *l. 1. §. 16. ff. de A. v. A. P.* Quidam enim ut *Accursius, Bartolus, Jason & Dd. communiter* statuunt *d. §. exaudiendum* esse de hereditate nondum adita, quo casu servus quem defunctus in sua hereditate reliquit, adhuc hereditarius dicitur, ideoque quod tunc stipulatur acquirit hereditati *l. 61. ff. de A. R. D.* Nam post aditam hereditatem non est hereditarius, sed heredis *l. 10. §. 2. ff. de vulgar. & pupill. substit.* Quo facto non ambigunt, quin per servum talem, qui hereditarius fuit, quodlibet tandem acquiri possit, quod jacente hereditate ipsi non cederet. Nam quam primùm heres eam adiverit, tùm statim eo ipso omniùm rerum dominiùm sibi acquirit *sec. l. 62. ff. de R. J.* aded ut de eo per servum amplius acquirendo, frustra disquiratur. Nec patet ulla evidens ratio, cur per talem servum, quem per aditionem hereditatis heres pleno jure sibi appropriavit, cujuscunq̃ rei possessio acquiri nequeat. Cùm per unum servum puta donatum, reliquorum possessio obtingere possit *2. §. 16.* Neque parum pro eorundem sententia stabilienda facit id, quod in locis parallelis puta *l. 18. ff. de A. R. D. & l. 43. ff. de Acquir. hered.* fiat mentio partis hereditatis quæ non potest acquiri per talem servum. Atquin de acquisitione partis vel totius, commodè disputari potest ante aditam hereditatem; nam aditâ hereditate omnium rerum dominiùm heredi

I

quæ-

quaritur, ut de eo per servum ampliùs quærendo frustra disqui-  
ratur, Alii verò ut *Castrens. Zasius Duarenus d. S.* de servo per  
aditam hereditatem jam acquisito, intellectum volunt. In quo-  
rum castra etiam *Bachov. Vol. 2. p. m. 292.* secessit, mordicus ean-  
dem sententiam propugnans. Pro cuius confirmatione præcipuè  
dicit facere, quod Ictus quærat, an regula illa longiùs producen-  
da sit, puta ad servos plures, legatos, emptos vel donatos? qua-  
lem quæstionem dicit non posse habere locum nisi dominio ac-  
quisito, ex hac ratione; quia aliàs falsum esset, quod per servum,  
unum reliquorum possit apprehendi possessio, unde concludit,  
d. regulam de servo cuius dominium acquisitum, accipiendam  
esse. Verum si *d. S.* ritè perpendatur, apparebit Ictum loqui de  
duobus diversis casibus. In priori enim facit mentionem servi  
hereditarii, per quem quod ejusdem hereditatis est, ex veterum  
sententia, acquiri nequit. In posteriori verò agit de servis, quo-  
rum dominium per donationem emptionem & legatum alicui  
obvenire potest. Hinc dicit ex his causis veriùs esse, posse ali-  
quem per unum reliquorum possessionem acquirere. Quocirca  
decisio Icti, non est accipienda de priori; sed posteriori casu, &  
per consequens discursus ejus non est frustraneus, multò minus  
vitiosus & falsus. Præterea dicit ita regulam esse de indubitabi-  
li, si secundum communem opinionem accipienda esset; quoni-  
am constat per eum servum, cuius nec dominium, nec possessio-  
nem habemus non acquiri nobis possessionem per *l. 1. §. 16. ff. eod.*  
Verum *Jason* deducit rationem dubitandi ex *l. 28. §. 4. ff. de Stri-  
pulat. Serv.* Ubi servus hereditarius heredi futuro dicitur posse  
stipulari; (licet sit eo tempore ex Proculi sententia extraneus)  
quia qui postea heres extiterit, videtur ex mortis tempore defun-  
cto successisse, imò adeundo hereditatē, jam tunc à morte, defun-  
cto successisse intelligitur *l. 54. ff. de acquir. heredit.*

*III. Rerum hereditariarum possessio desiderat appre-  
hensionem naturalem.*

Quæstio non minus elegans quam difficilis hîc examinan-  
da occurrit, quâ quaritur; an rerum hereditariarum possessio  
ipso jure ad heredes ita transfundatur, ut novâ apprehensione o-  
pus non sit ad eam devolvendam? Ubi quoad ipsam proprietatem

tem

rem quidem & dominium, sciendum est hereditatem continuari  
absque ejusmodi apprehensione; ita enim heres in universum  
jus succedere dicitur, quod defunctus habuit *l. 62. ff. de R. T.* hinc  
sui heredes vivo adhuc patre quodammodo domini existiman-  
tur *§. 2. Inst. de hered. qualit. & different. l. 11. ff. de liber. & posth.*  
Verum quoad possessionis acquisitionem, dicendum omnino  
eandem ad heredes non transire sine apprehensione corporali *l.*  
*23. l. 30. §. 5. ff. de A. v. A. P.* non enim adipiscimur possessionem  
nudo animo *l. 4. C. de A. v. A. P.* sed animo & corpore simul *l. 3.*  
*§. 1. l. 8. ff. de A. v. A. P.* nec potest transmitti à parte defuncti; si-  
quidem animus quo possessio retinetur *l. 3. §. 7. l. 6. §. fin. ff. de A.*  
*v. A. P.* morte tollitur *l. 4. ff. locat.* neque à parte hereditatis,  
quippe quæ in heredem id tantum transfundit, quod est ejusdem  
hereditatis *l. 1. §. 15. ff. si quis testam. lib. esse juss. & c.* possessio ve-  
rò non est hereditatis *d. l. 1. §. 15.* proinde absque novâ quadam  
apprehensione transmissibilis non est. Non obstat quod in *d. l.*  
*23. ff. de A. v. A. P.* mentio fiat aditionis hereditatis, quod extra-  
neos potissimum concernere videtur, siquidem sui heredes non  
dicuntur adire hereditatem, sed potius se eidem immiscere *l. 3. §.*  
*fin. l. 4. ex quib. caus. in possess. eat. §. 5. Instit. de hered. qualit. &*  
*differ.* Unde quidam concludunt, possessionem in suum heredem  
immediatè continuari. Non inquam obstat; nam vox aditio-  
nis latè accepta, etiam ad suos heredes extendi potest, ob ratio-  
nem antea allatam, quæ utrobique procedit tam in suo herede,  
quàm extraneo suadens apprehensionè necessariam esse. Ubi ve-  
rò ratio eadem, ibi jus idem esse debet arg. *l. 3. C. de pec. constit. &*  
*arg. l. 32. ff. ad leg. Aquil.* imò differentia inter aditionem & im-  
missionem sæpenuerò videtur confundi *l. 3. C. de jur. deliber.*  
Cum igitur lex non distinguat, nec nostrum est distinguere arg.  
*l. 8. ff. de publ. in rem act.* Porrò sinitas non plus operatur in suo,  
quàm aditio in extraneo arg. *l. 15. ff. de Usucap.* At heredes extra-  
nei, ne quidem hereditate aditâ possident *d. l. 23. d. t. E.* nec sui  
heredes ratione & vi sinitatis possidebunt. Nec adversatur *l. 1. §.*  
*44. ff. de vi & vi arm.* Ubi dicitur heredibus competere interd-  
ictum undè vi; quod est remedium recuperandi possessionem  
jam amissam *l. 1. §. 1. ff. d. t. §. 6. Inst. de Interd.* Nam heres non

uitur eo interdicto ex sua persona; sed ex defuncti; quoniam actio ista fundatur in bonis defuncti, quæ alius occupaverat, unde ab herede utpote juris universi successore rectè institui potest *l. 24. ff. de V. S. l. 37. ff. de Acquir. v. Omitt. hered.* Neque refragatur *l. 30. ff. ex quib. caus. major.* Ubi dicitur possessio defuncti quasi juncta ad heredem descendere. Nam d. l. loquitur de effectu possessionis puta usucapione, quæ propriè compleri dicitur; vacuum enim tempus quod ante aditam hereditatem, vel post aditam intercescit, ad usucapionem heredi procedit *l. 31. §. 5. ff. de Usucap. Conf. l. 40. ff. eod.* Idque jure singulari receptum esse dicitur, ut jacente hereditate, cæpta per defunctum usucapio procedat *l. 44. §. 3. ff. eod. l. 2. §. 1. ff. pro empt.* si medio tempore possessio à nemine occupata sit *l. 13. §. 4. ff. de A. v. A. P. l. 20. ff. de Usucap. Conf. l. 6. §. 2. ff. pro empt.* Sed excipere solent quidam contra dictam explicationem, dicentes Istum loqui in *d. l. 30. ff. d. t. de possessione*; non verò de usucapione, moti *l. 2. C. de Usucap. pro hered.* Ubi Dioclet. & Maximimus Imp. dicunt nihil posse usucapi pro herede, suis heredibus existentibus. Verum ad istam legem responderi solet, quod suis heredibus existentibus nihil possit pro herede usucapi ab herede extraneo; quamdiu enim sui heredes in vivis sunt, non potest ullus alius extraneus pro herede usucapere, cum statim ipso jure heredes existant *l. 14. ff. de suis & legit. hered.* & quanquam à significatione verborum facilè non sit recedendum *l. 69. ff. de legat. 3.* tamen verba sunt explicanda secundum subjectam materiam, ita ut non attendatur tantùm quid scriptum dictumve sit; sed etiam quâ mente quid dicatur *l. 19. ff. ad exhibend.* Nam leges scire, non est verba earum tenere; sed vim ac potestatem *l. 17. ff. de legib.* De jure Suecano videtur etiam ejusmodi apprehensio requiri *C. 18. §. 2. Ersdab. S. 1. Dâ skal arfvet stânda siva lânge aft han komber som arfva skall.* Aliàs de hac contrversia vid. *Arum. Exerc. just. 10. in Coroll. Gædd. ad l. 24. ff. de V. S. Hunn. lib. 2. var. resol. jur. civ. tract. 5. q. 28. p. m. 445. & seqq. Harpp. tom. 3. p. m. 141. & seqq.* Item *Excell. Dn. Præsès in Συναρξαφία suiatis* singulari artificio elaboratâ, ubi ad argumenta contraria etiam sufficienter respondet, prout thesis 21. luculenter edocet. Potest autem illa  
appre-

apprehensio fieri dupliciter. 1. Per edictum prætoris. 2. Per  
Constitutiones Imp. Inde duæ emergunt species; quarum una  
interdictum quorum bonorum: altera verò quod legatorum.  
De quibus in thes. 27. breviter actum. Hinc itidem duo reme-  
diorum acquirendæ possessionis modi nascuntur, quorum pri-  
mum exhibet Justinianus l. 3. C. de Edicto Diti Adrian. tollendo.  
Ubi heres institutus aut ex asse aut ex parte, ostenso testamento  
non cancellato nec abolito, neque aliàs vitiato iudici compe-  
tenti, legitimis testium numeris vallatus mittitur in possessio-  
nem earum rerum, quæ testatoris mortis tempore fuerunt, nec  
legitimè ab alio detinentur, quam testificatione publicarum  
personarum accipiet. Et quamvis constitutio hæc loquatur in-  
definitè de herede; tamen de suo etiam intelligi debet; cum in-  
iis quæ sui naturâ ad heredes non sunt transitoria, heredis ap-  
pellatione tam suus quàm extraneus contineatur. Bart ad l. 29.  
ff. de lib. & posthum. Secundum verò suppeditant Severus & An-  
toninus Imp. l. 3. C. de pignor. Ubi creditores pecuniâ sibi non  
redditâ, ex lege conventionis propriâ autoritate possessionem  
ingredientes, vim facere non dicuntur, attamen præfidis autho-  
ritate possessionem adipisci debent: hinc tutius quis facere dicitur,  
si prius prætorem adierit l. 7. §. 1. ff. de reb. eor. qui sub. tutela & c.  
omnia enim officio iudicis celebrari oportet l. 7. §. 3. in fin. ff.  
quod vi aut clam.

*IV. Extra causam peculiarem, possessio dominis igno-  
rantibus non acquiritur per servum.*

In thes. 18. dictum est earum rerum quas servi peculiariter  
tenent, possessionem nobis etiam ignorantibus acquiri. Id quæ  
probatum præter alias leges ibidem allegatas, etiam per l. 44. §. 1.  
ff. de A. v. A. P. Ubi Papinianus clarè id demonstrat inquit  
notanter 1. utilitatis causâ jure singulari id receptum esse 2. ra-  
tionem assignans, ne cogentur domini per momenta, species  
& causas peculiorum inquirere. 3. à contrario illustrans; si au-  
tem non ex peculiari causâ quærat aliquid, cum scientiam qui-  
dem domini necessariâ esse, sed corpore servi possessionem quæ-  
si. Quod tamen Icti refellere conantur, quos inter etiam *infi-*  
*gnis*

quis ille Cujacius lib. 24. Observat. c. 9. volens indistinctè & ex omni causa per servos possessionem ignorantem acquiri motus generalitate textuum sc. l. 34. §. 1. ff. de A. v. A. P. & l. 31. §. 3. ff. de Usucap. Verum ad d. l. 34. §. 1. responderi solet, in jure Romano frequentissimum esse, ut aliquid uno in loco simpliciter affirmetur, quod in alio limitatur. Unde dicit Paulus l. 26. ff. de legib. non esse novum, ut priores leges ad posteriores trahantur. Proinde d. l. 34. indistinctè loquens restringenda est ex l. 44. §. 1. ff. de A. v. A. P. ad res ex causa non peculiari acquisitas; est enim jure singulari receptum, ut per servum dominis ignorantibus ex causa peculiari acquiratur; quod autem jure singulari receptum est, id non debet produci ad consequentia l. 14. ff. de legib. l. 141. ff. de R. 7. Similiter ad d. l. 31. §. 3. ff. de Usucap. Ubi Ictus loquitur: Si servus meus vel filius peculiari, vel etiam meo nomine quid teneat, ut ego per eum ignorans possideam, vel etiam usufrucipiam, Dd. respondere solent dicentes in d. l. exprimi duo diversa subjecta res nempe peculiariæ, & res quas servus nomine domini tenet: duo itidem recenserunt prædicata, possidere ignorantem & per servum usufrucipere: quorum prius spectat res peculiariæ; posterius verò concernit res nomine domini possessas. Est igitur hic sensus legis: si servus meus vel filius peculiari vel meo nomine quid teneat, ut ego per illum rem peculiarem ignorans possideam, vel rem quã meo nomine tenebat usufrucipiam. Scribit enim Celsus dominum ignorantem, possessionem illam posse usufrucipere, quam servus peculiari nomine adipiscitur; ad eam verò quæ non peculiari nomine acquiratur scientiam ejus, qui vult usufrucipere, requiri l. 2. §. 11. ff. pro empt. Conf. l. 8. l. 47. ff. de Usucap. Nec adversatur l. 49. §. 2. ff. de A. v. A. P. Unde quidam concludunt, ex re etiam non peculiari possessionem ignorantem domino acquiri; quoniam per præcuratorem ignorantem generaliter in d. l. acquiri dicitur. Nam ei initio demandata est rerum administratio, unde perpetuo scienti domino acquirere dicitur, licet ipso puncto apprehensæ possessionis non concurrat ejus scientia. Neque refragatur §. 3. Inst. per quas. perf. cuiq. acquir. vers. non solum autem. Nam d. vers. ex aliis locis explicandus est, ita ut possessio cujuscunque rei per servum juxta d. §. nobis quidem acquiri-



acquiratur; verum scientibus ex causa non peculiari secundum  
*d. l. 44. §. 1. ff. de A. v. A. P. & alias in tb. 18. expressas; alias enim*  
aperta antinomia hinc sequeretur, quam Dd. vitandam esse autu-  
mant, usque dum leges aptè conciliari & in concordiam redigi  
possint. Plura de hac controversia qui videre avert, adeat *Bachov.*  
*Vol. 2. Disput. 21. p. m. 294. & seqq. Hillig. c. 8. lib. 5. lit. C. Hunn.*  
*lib. 2. var. resolut. jur. civ. tract. 4. quest. 19. A quo Harpp. tom. 2.*  
*p. m. 636.*

*V. Definitioni possessionis, non debet inseri res non pro-*  
*hibitæ.*

Licet *Bartolus* voces istas suæ definitioni annexerit; tamen  
ab aliis non immeritò omittuntur; nam ut res prohibeatur pos-  
sideri, ipsam possessionis essentiam quâ talem per se non concer-  
nit, sed per accidens aliunde eidem accedit. Cæterùm illa con-  
ditio tacitè semper inesse debet *arg. l. 11. §. 1. ff. de muner. unde*  
præsupponitur talisabilitas rerum, quæ dispositioni juris non  
repugnat, quâ res hominum commerciis exemptæ possideri ne-  
queunt *l. 83. §. 5. ff. de V. O. § 2. Instit. de inutilib. Stipul. l. 6. ff. de*  
*contrab. empt.* Huc accedit & illud, quod nec in definitione testa-  
menti addatur, *de quo disponere quis non prohibetur.* Vid. *Schneid.*  
*§. 5. Inst. de Interd. n. 14. Hillig. lib. 5. c. 6. lit. P.*

### M A N T I S S A,

*Jus Romanum in Regno Sueogothico habet usum.*

Quatenus jus Romanum à Legislatoris autoritate depen-  
det, eatenus illud non magis Regni Sueogothici incolas ad obe-  
dientiam adstringit, quàm jus Sueticum Imperio Romano subje-  
ctos. Verum quia continet explicationes juris naturalis æqui-  
tate vestitas, dictamini rectæ rationis conformes, rerum judica-  
rum exemplis comprobatas, longoque usu clariore redditas;  
quibus probè declaratis, non levis datur ansa studiosæ juventutis  
jurisprudentiæ fontes adeundi, indeque solidam juris notitiam  
hauriendi. Ideò illud jus à Suecis æquè ac ab aliis exteris cul-  
tioribus Europæ gentibus acceptatur. Quod enim ratio natu-  
ralis inter omnes homines constituit, id apud omnes peræquè  
custoditur *l. 9. ff. de just. & jur.* In causarum verò decisionibus  
illis

illis in casibus, qui in legibus Suecanis non sunt expressi, non enim omnes articuli sigillatim legibus comprehendi possunt *l. 12. ff. de leg. judicis arbitrio relinquitur pœna decernenda, & si deprehenderit eandem in legibus Civilibus sancitam, potest (teste Virò Magnifico & Nobilissimo Dn. Andrea Gyllenkfloo ante hac Professore Upsaliensi Celeberrimo; nunc Regio Secretario eminentissimo, in erudita quadam Dissertatione de prudentiâ legislatoriâ) ad casum propositum, ex judicii sui dexteritate talem pœnam applicare eaquè cautè uti, non quidem idèd, ac si valor istarum legum à publica sanctione promanans ibidem vigeret; sed quia rationi & æquitati istæ leges congruunt. Præterea cernitur ejus usus in præceptorum juris definitionibus, distinctionibus aliisque terminis, quos sibi familiares reddit studiosa juvenus, ut in diversis negotiis, suo tempore explicandis, eosdem utiliter usurpare, & in usum suum oportunè transferre possit. Hisce fortassis & aliis longè prægnantibus rationibus, inclyti Regni Suegothici Summus Magistratus motus & adductus est, ut unâ cum jure patrio jus Romanum, juventuti in Academiis publicè proponi, & jus Suecanum cum eodem conferri curaret. Qua de re videantur *τοῦ ἑλληνισμοῦ* ad Synopsin juris Dn. Loccenii Icti, Historici ac Oratoris Clarissimi, & de Republica literaria in Regno Suegothico optimè meriti.*

---

Σφάλματα, quæ præter spem irreperunt sic corrigantur:

*Thef. 1. lin. 5. pro 16. ponantur 13. 2. 29. Ubi debitor, ibi legatur creditor. 4. 76. refutant. 7. 36. jure & l. 67. expungatur de. 8. 9. dicit & l. 49. domino. 10. 12. civilis. & 25. possessionem. 12 15. accidit & 24. ingreditur. 13. 17. 18. 19. om. 18. 31. dominio. 22. 15. à Icto. l. 23. pro 31. 35. l. 25. deletur e. & l. Ult. leg. 35. 27. 14. interdictum. 29. restituerit & debet ibidem. 28 27. leg. 21. 29. l. ult. pro suis leg. ejus. 30. 8. insistere. 32. 1. penitiùs. Cetera leviora & circa interpunctionem ac distinctionum notas errata; candidus lector ipse emendabit & benignè excusabit.*

SOLI DEO GLORIA.

154567

ULB Halle 3  
003 637 700



f

5b1

n

VD 17





BENEDICENTE DEO!  
DISSERTATIO LEGALIS  
DE

# ESSENTIA

POSSESSIONIS,  
ACCEDENTE SUFFRAGIO  
*Magnifici & Nobilissimi Jctorum Ordinis in  
celebri ad Salam Athenæo*

DIRIGENTE  
VIRO  
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO ET CON-  
SULTISSIMO

DN. ERNESTO FRIDERICO  
SCHRÖTERO, J.U.D. PROFESSORE  
PUBL. CELEBERRIMO, CONSILIARIO SAXO-  
NICO SPECTATISSIMO, FACULTATIS JURIDICÆ  
ET SCABINATUS ASSESSORE

DIGNISSIMO,  
Præceptore, Fautore & Hospite jugiter colendo,  
*Eruditorum censura subjecta.*  
In Themisterio Jctorum

M. MICHAELE WISIO,  
ABOA-FINLANDO.  
Die 15. *Octobris*  
ANNI M DC LIII.

JENÆ, CHARACTERE NISIANO.

